

II d  
1647

N. 2,645.

h. M. A, 618.







PORNODIDASCALUS,

S E U

**COLLOQVIVM**

MULIEBRE

**PETRI ARETINI,**

*Ingeniosissimi & ferè incomparabilis virtutum & vitiorum demonstratoris:*

**DE ASTU NEFARIO HORREN-**

**DISQVE DOLIS, QUIBUS IMPUDICÆ**  
mulieres juventuti incautæ insidiantur,

DIALOGUS.

**EX ITALICO IN HISPANICUM SERMO-**

*nem versus à Ferdinando Xuaresio*  
*Seviliensi.*

**DE HISPANICO IN LATINUM TRADU-**

**CEBAT, UT JUVENTUS GERMANA PE-**  
stes illas diabolicas apud exteros, utinam non  
& intra limites, obvias cavere possit  
cautius,

**CASPAR BARTHIUS.**

**ADDITA EXPUGNATIO URBS ROMÆ AB**

*exercitu Caroli Quinti, historia paucis nota, & in Dialogo*  
*memorata; Eodem ex Italico interprete.*

**CYGNÆ,**

Typis & Sumptibus Melchioris Göpneri.

---

ANNO M. DC. LX.

*JUVENUTI GER-  
MANICÆ.*

**E**CCAS vobis malas arteis bonis auspiciis Latino sermone descriptas, ut ad exteras aliquando provincias everti meminisse illic cum emolumento vestro possitis, quod sub parentum tutela cavere, utcumq; domi integrum fuit. Vos verò ab uno crimine discite omnia vitare; neque non domi vobis esse inque Germaniæ nostræ etiam ipsis tuguriis, quod in palatiis Romulorū lethum informe minari docemini. Auctorem si nosse cupitis, sciatis eum esse, qui à nemine ferè ævi sui Magnate non illustre stipendium habuit, ne mores ipsorum Satiris suis notaret.

Simplex sermonis translatio est, studio facta, & Hispanicum non Italicum Exemplar secuta, quod illud cautè obscœnitatem hujus seposuerit. a. d. XIX. Octobr. CIO. IOC. XXII.



ARGU-

  
**ARGUMENTUM**  
**COLLOQUII ORDINEM**  
**RECENSENS.**

**L**UCRETIA & Antonia intima fuerunt amicae à primâ usque pueritiâ, quod & ambae Bononiae natae & junctim educatae ibidem essent. Accidit ut Carolo quinto eam urbem cum exercitu appellente, Coronae Imperatoriae assumenda gratiâ, vexillifer quidam Germanus apud Matrem Lucretiae hospitium caperet. Is amore puellae captus, quam diu Imperator Bononiae substitit, eam pro amicâ habuit. Milite deinde in Hungariae fines ducto, ut Turcico furori, Viennam petenti, resisteret, amatorem secuta est cum matre, quae numquam utpote unicam deseruit. Post Italo se Tribuno applicuit, cumq; eo Anconam, Crotona, aliasq; Italiae urbes visitavit, usque dum laboris bellici pertesa Romam se contulit. Inibi cum quatuor amplius annos degisset, nobiles quidam urbani domi ipsius ad manus caedesq; venerunt, quarum rerum culpa cum ad eam omnis devolveretur, urbe cedere coacta in Longobardiam venit, ubi plurimum aetatis consumpsit. Antonia cum toto eo tempore paribus artibus vixisset, forte fortunâ Loretti ad Divae Virginis fanum offendit Lucretiam, cum jam

A A

amba

ati-  
 ndo  
 nto  
 re  
 cri-  
 obis  
 riis,  
 ina-  
 m.  
 stre  
 suis  
 , &  
 dil-  
 XIX.

GU-

*ambæ vetulæ essent. Cumq; agnovissent se mutuo,  
plurimisq; amplexibus excepissent, confederunt. Anto-  
nia quippe debilior erat & ævo & quia Venereæ luis  
curationem modo sustinuerat. Tum disserere de variâ  
fortunâ, quam expertæ erant tot annos, cœperunt;  
Lucretia vero, quæ plures provincias urbesq; perva-  
gata fuerat, largius de vitâ suâ loquitur; donec An-  
tonia, audiendo fessa, finem colloquio dedit.*

COL-

mu  
ma  
ve  
S.  
Mo  
qv  
cio  
gu  
stu  
pez  
xif  
Lu  
mi  
con  
ele  
ins





# COLLOQVIO DE LAS DA- MAS.



**ANTONIA.** Audire velim quo pacto Romam cum matre veneris.  
**LU CR.** Bonâ Fortunâ auspiciū narrationi dabo. Pridiē Solemnium D. Petri urbem ingressæ sumus. Non opus erit, puto, recensere, quid summæ voluptatis ceperimus, cum sub ipsum adventum nostrum tormenta ingentia de Castro S. Angeli displosa, concinentibus varii generis Musicis instrumentis, tam quæ spiritu quàm quæ manuum dexteritate gubernantur, artificiosis tonitribus omnia percellerent, tantâ fulgurum copiâ undiqve pervolante, ut spectandi studio universam urbem ad pontem, Vicum trapezitarum, vicinumque Burgum confluxisse dixisses.  
**ANT.** Ubi eâ nocte hospitata estis?  
**LU CR.** Ad turrim Nonariam, trivium eo nomine notissimum, ubi degebat mulier locandis conclavibus victitans. Quod nobis paratum est, elegans erat necessariis rebus, & quæ ornatui insuper essent, pulchrè opulenterque instructum.

In eo octo non amplius dies moratæ sumus. Domina autem earum ædium primo ab intuitu magnopere formam meam mirabatur, & velut ad monstrum, obstupescibat. Cumque indies magis magisque mulieri speciosa viderer, rem ad amicum quemdam suum, hominem urbanarum deliciarum sectatorem præcipuum, detulit. Ille pluribus quod audierat impertit; utque ingenia talium comparata sunt, continuo incipiunt integræ amatorum cohortes fores nostras obequivitare, pro se quisque querentes, malo exemplo oculis suis invideri egregiam illam speciem. Stabam ego ad fenestram prospiciens per umbellam concinnè ita factam, ut animadverti, non & videri, extrinsecus possem; & ne præsentia mea ignoraretur, sublatâ valvâ suaviter exspuebam, vix dimidiâ faciei parte cupientibus ostensâ, cum raptim me reducerem. Et quamquam naturâ & artificio eram formosissima, isto tamen astu altero tanto speciosior videbar; quod enim summoperè cupitum oculis ægrè præbetur, multo magis affectus humanos incendit. Effectus hic erat ut totâ urbe in desiderium mei commotâ, nihil jam magis per ora urbanæ juventutis iret, quam forma recens advectæ puellæ. Utque novæ res semper animos mortalium attrahunt, nemo non videndæ mihi ædes nostras obibat. Adeo quidem ut hospita jam non

non satis respondere posset singulis ostium rum-  
 pentibus, meamq; per illam familiaritatem sol-  
 lificantibus. Multoties loqui quæ vellet ho-  
 mines sinebat, & proxima promittenti, ad ex-  
 tremum incertos dimittebat, quo pacto vota  
 expedirentur neq; curans plurimum, neq; quo  
 pacto perficeret, sciens. Interea mater mea, mu-  
 lieristarum rerum callentissima, longoqve usu  
 fraudum omnium magistra, præ se ferre nihil se-  
 talium ad animum admittere, sæpius in hæc ver-  
 ba erumpere. Potest ut ego sermones rumuscu-  
 losqve istos magni faciam! Nolit numen, ut fi-  
 lia mea unica intemeratum hæcenus Pudicitia  
 florem isthuc contaminet. Per gratiam DEI no-  
 bili honestoqve loco prognata sumus; si fortu-  
 na aliquid in nos licuit, non adeo prostrata,  
 Dei tutelâ, sumus, ut desit unde vitam honestè  
 deinceps quoque ducamus. Dicit non potest  
 quantum formæ meæ istis sermonibus auditis  
 commendationis accreverit. Si vidisti umquam  
 passerem recens recluso Granatensi pomo infi-  
 dentem, grana exinde pauca excerpere, semel  
 svavitate horum perceptâ avolare, mox tribus  
 quatuorve, deinde decem aut amplius comiti-  
 bus stipatum redire; ita & amatores nostri alius  
 alium adducere, inescati omnes dulcedine vul-  
 tus & comitate morum, quæ in me essent, cu-  
 piebant pro se quisque optatissimos horti nostri  
 fructus

fructus carpere. Ad extremum non poteram resistere tot potentium hominum & nostri cupidorum turmas domicilium nostrum obversari videns, quin oculos aliquando per fenestram perderem, gaudens muliebriter, dum unumquemque video nihil reliquum sibi facere, quo elegantiam vestitus, splendore aurearum phalararum, ambitione incessus, apud me aliquam præcæteris gratiam adipisceretur. Vidisses multos gemmantibus torquibus, armillis aureis, & id generis aliis ornamentis adeo præcellenter instructos, ut equi virique splendore visum frustrari, instar Solis radiis oppositi speculi, dixisses. Alii gradus molitudine commendare se studebant, quos tu quidem sensus in pedibus fitos habere putasses, adeo ad numerum incedebant, stipati utrimque magna famulorum turba, talium rerum & ipsa curiosâ. His Petrarcha in manibus erat, cujus versus maximè temperatâ voce cantillabant. ANT. Aptâ erat ludo isti cantio hæc, cujus nunc mihi subit memoria:

*Omnia quæ patior mala si pensare velint fors*

*Unâ aliquâ nobis prosperitate, Dii.*

*Hoc precor ut faciant, faciant me cernere coram,*

*Cor mihi captivum quæ tenet hocce, Deam.*

LuCR. Cum ad fenestram unus & alter constitissent, fingebam tussire, ne de præsentiam meam incerti essent; illi signo percepto in hæc verba con-

conqveri. Domina, sine exemplo formosa, potestne ut tam inusitatae venustati juncta sit tam homicida crudelitas? Quo ipsorum merito tot tibi devotissimos commori, inani spe videndi vultus tui, finis? Hoc audito mediis oris risu, sublata valvâ, eos suaviter aspicio, sed mox me retraho. Illi cum dicto, utinam jucundissimam manum vestram uno saltim basio exosculari liceret, & Deos immortales juro crudelissimam hanc esse puellarum, recedunt. ANTONIA. Certè ego hodie tales res audio, quolibus toto vitæ tempore suaviores non percepi. LUCRET. His ita succedentibus, mater mea, quidvis potius quàm insipida mulier, spectandam me præbere studebat, lautiori aliquo habitu, ne quis tamen aliter quàm casu id fieri persentiret. Nigro serico panno, qui à splendore & glabritie fæmineis ornamentis prænobilis est, vestitum mihi curat, cui brachiorum tamen indumenta abessent, undique scissuris pellucido pervidoque. ANTONIA. Et cur sine manicis ea vestis facta est? LUCRETIA. Non aliâ ratione quàm ut tenerrima & nive omni candidior lacertorum cutis tenui indumento lineo obumbrata magis oculos amatorios duceret. Capillos omni auro splendidiores retro verticem crispitie artificiali collegerat; jurasses non capillis, sed subtilissimis auri filis, ejusdem metalli inspersâ scobe caput

meum relucere. Insuper faciem mihi aqua ad  
 id efficaci laverat, ut speculo adverso Sole in-  
 specto lucentior esset. Non utebatur aliis vili-  
 um muliercularum fucis aut tinctionibus. Ita-  
 tum exornata cum maximè ferverent viæ tran-  
 seuntibus procis, apertâ fenestrâ in publicum  
 prospicio. Vidisses animadversâ ex improvise  
 præsentia meâ velut publicum omnium gaudi-  
 um. Par exultatio nautarum celeusmatis erat,  
 qui emenso ingenti itinere, tempestate evasâ,  
 ingenti contra jubilatione portui succedunt.  
 Gaudio tanto percellebantur, ut nimia lætitia  
 proni equorum collis velut inciderent, jacenti-  
 bus utiqve quam sedentibus similiore, ut eo  
 melius conspiciari me possent, quo ego me  
 reducere solerem cautius. Erigebant capi-  
 ta, aperto ore velut aerem captabant, similes  
 bestiis quas ab Alexandria convehere Italiam  
 solent. ANTON. Chamæleontes opinor vo-  
 cari. LUCRET. Recte nomen meministi. Vo-  
 lo scias, soror, imprægnabant me velut ipsis o-  
 culis. ANT. Quid tu faciebas cum ita te ad-  
 spectarent? LUCR. Fingebam honestatem plus  
 quam Vestalis castitatis, plusquam uxoriis ocu-  
 lis contra tuebar. addebam gestus, signa, moti-  
 unculas, ad rem idoneas, quibus stupentes ita  
 incantabam, ut loco velut fixi manerent. ANT.  
 Lepidam te & astutam rem fecisse autumo. LUCR.  
 Erat

Erat tertia ferè pars horæ consumpta, ferventi-  
 bustum maximè blanditiis; mater velut ex im-  
 proviso superveniens, retrò me cedere objurga-  
 bunda jubet; ego evestigio sequor, ita animi  
 percussis spectatoribus, ut alter alterum, velut  
 muti repente facti, verbo consolari non possent.  
 Accessu noctis janua pulsari incipit, nemine  
 non quasi ad officium præsentente. Subit hospita  
 ad fenestram percunctantibus responsura, mater  
 ponè illam summo silentio se tenet, ut quid ser-  
 monum fieret, ipsa audire posset. Unus inter o-  
 mnes obnupto vultu præsentior, Quæ, inquit,  
 est Domina illa, quæ non admodum dudum est  
 cum de fenestrâ istâ prospiceret? Respondet  
 hospita, filiam esse exteræ matronæ, nuper cum  
 matre Romam advectam. Pater autem, adjicit,  
 quantum comperiri potui, scelere quorundam  
 inimicorum fuorum occubuit; in eo nunc ma-  
 trem esse, ejusque rei gratia huc venisse rescivi,  
 ut & filix unicæ de marito prospiciat, & contra  
 homicidas justitiæ præsidium imploret; habet  
 alioquin reculas suas secum, quarum sanè præ-  
 tium non est magnum. Hæc & similia mendacia  
 à matre edocta erat. ANTON. Probo omnia.  
 LUCR. Reddit amator: Et quo pacto ego allo-  
 qui Matronam istam potero? Non, ait hospita,  
 in facili id erit, neque video ut expediri possit;  
 nulli enim id genus percunctatori aurem præ-  
 bitura

bitura videtur, neque vestrarum Venerum est. Insistit rogare, si me ego virgo? Et quidem, responsum est, virginissima; nil agere enim integros dies quam ruminare preces, & Vestalem prorsus vitam vivere. Postulat intromitti, & colloquio meo initiari; qua spe frustratus, hoc, tamen, ait, mei causa expedire poteris. Alloquere tu virginem nostro nomine, summopere me petere colloquium ipsius dicens; de cætero præbiturum per manus tuas eam opum vim, ut omnibus invidiam sit factura. Re juramento consponsa, disceditur. Paulo post ad nos ingressa hospita, non, ait, meliores inquisitores sunt vini quam veteres præcones. Vestigia quidem filia tua odorati sunt urbani isti canes, neque desistent nisi venatione successa, licet cælum cum ea subvolaveris. Dico istud victa precibus unius, qui enixè, ut copiam vestri alloquendi sibi faciatis, flagitat. Nullo modo, respondet mater. Tum mulier, ut serpentino astu linguam tinxerat: Principale ego signum mulieris circumspectæ & sapientis esse puto, dignoscere posse Fortunæ favorem cum propitio numine uti licet. Homo est prædives & potens, qui aureas vos cum omni supellecile faciet. Jungebat his alia, quibus velut injectis loris nos desententia in amatoris vota detraheret. Ad vesperam sumtu hominis opiparæ epulæ instructæ sunt.



sunt, cumque multum mater consilia secum ja-  
 ctasse videri voluisset, alioquin talium tam gna-  
 ra & callens, ut ad ea quæ factu opus essent,  
 paratio non egeret; ab obstinatione sua tantum  
 remisit, ut aurem precibus flecteret, & postula-  
 tioni assentiretur. Eo impetrato vir prudentis-  
 simus, qui se omnia jam obstacula transiisse cre-  
 deret; una noctium sequentium ad me venit  
 concubitus petens, tantis juramentis additis, ut  
 pro virginitate Regno me donaturus videretur.  
 ANT. Jucunda narratio. LUCR. Itaque ut ex-  
 pensorum, & quod magis cupiebat, fructum  
 ætatis nostræ carperet, ea nocte velut ad consti-  
 tutum venit, animo prorsus voti securo. Cum  
 cœna, lautissimis rebus instructa, allata esset,  
 ego vix primis labellis unam & alteram bucel-  
 lam tango, quodque aliquando deglutiendum  
 erat, suaviter intra clausum osculum comman-  
 duco; vixque dimidia cyathi parte, quod aqua  
 probè dilutum erat, vinum exhaurio. Interim  
 ille nihil amatoriarum blanditiarum mittebat,  
 quibus omnibus nec unum quidem verbum à me  
 reponebatur. Mensis sublatis dormitum me in  
 cubiculum hospitiæ, aureo tum nummo egregiis  
 meis nuptiis servitutum, agunt. Vix ille vesti-  
 gia mea premens intraverat, cum famulis omni-  
 bus semotis, ostio diligenter clauso, vestitu se-  
 ipse exiit; omnia ista uno momento facta di-  
 xisses

xisses, adeo votis frui accelerabat; deinde saltu lectum inuectus, triumphali gaudio exsultans innumerabilibus blandimentis amorem meum prolectare nitebatur; nulla tum mulier tota urbe erat, quæ opulentio rem me promissa ipsius non facerent. Verum omnia ista tantum apud me non poterant, ut lectum conscenderem; igitur percusso animo desiliit strato, & vi, quod cupiebat, petere insistit. Resistebam ego tam promptè, ut re infecta cubile repeteret, ubi vultu ad parietem obverso pudori meo consulturus, quæ nuda videri erubescerem, præstolabatur rei exitum. Ego multa causabar, ne quæquam me commissuram tale facinus, indignum scilicet majoribus moribusque meis; ad extremum tamen extincta candela lectum ingredior. Ingressa vix eram, cum eo me adfectu amplexam sentio, quo mater excipere possit filium insperatò reducem, quem pro mortuo ploraverit: proxima inter brachia hominis voluptate nullo modo tamen id obtinebat, quo omnium votorum summa anhelabat. Erant mihi risui voces ad obsequium fictæ; Anima mea, Spes mea, Vitæ meæ unicum delictum, jucundissima spes jam exspirantis sese spiritus mei, sine me frui votis felicibus, ne fonte jam in potestate mea constituto siti miser inteream. Inter has similesque supplicationes laborioso anhelitu mistas non cessabat tamen insidiosis

dios

diosis me ictibus petere, nihil ad votorum sum-  
 mam adipiscendam reliqui sibi faciens. At por-  
 rō omnibus sese modis frustra haberi cernens, ad  
 ultimum desperatione pectus inflamat, & sva-  
 ves illas penetricordiasque voces in amaras &  
 horrendas mutans, clamore, indignatione, de-  
 niqve execrationibus blasphemisqve meqve  
 seqve devovens, juramento insuper capitali af-  
 firmat, nisi jam morigeram me haberet, continuo  
 crudelissimo furore affectum mutando obfoca-  
 turum in meo me lectulo, aut præsente ad rem  
 exsequendam pugione confossurum. Cumqve  
 nihil ad furoris ostentationem omisisset, manum  
 utramqve gutturi meo injicit. At mollicie cor-  
 poris tacta, misero, qui cædem modo spirabat  
 horribilem, ceciderunt illico minæ, rediitqve  
 ad spem blanditiis quod volebat obtinendi.  
 Revolutus ergo ad priores delicias jam majore  
 etiam post iracundiam desiderio fractus preca-  
 batur, haberem tandem rationem miseriarum  
 suarum, tormentisqve finem tandem facerem.  
 At nec sic quoqve quicquam proficiens, ejicit  
 se strato, vestibusqve circumjectis raptim abi-  
 tum parat. Tum ego, futuri non incerta, svavi-  
 ter postulo, redeat, jam paratam felicitatis ipsius  
 consummationi. Redit stolidus, seqve blandi-  
 tiis vix jam positus in priora retia induit; quod  
 si virginitatis, inqviens, servatæ vulnus adeo ti-  
 mes

mes, præsto ecce juramentum muscam quamlibet majori te dolore puncturam quam ego velim; quippe immenso tui amore ipsam jam animam agens. Omnibus istis nec hoc solum impetrabat, ut florem corporis mei quam libebat plene tangere posset. Ergo insanienti jam proximus rapidè lecto exsilit, & vestibus injectis obire pavimentum incipit. Quod restabat noctis eo modo consumpsit, instar Vigilis qui castri alicujus aditus observat; tristitia referens aleatorem per lulum somno argentoque perditio ærumnas animi gestibus corporis exprimentem, nullis interim diris & blasphemis parcebat, quarum copia succrescere solet deceptis muliebri astu amatoribus; mox aperta cum mille suspiriis fenestra manu caput fulciens, præterfluentem Tiberis amnem, miserabilibus oculorum desideris intueri; nec jam fluminis susurro ignoscere, quod quasi irridere deceptas suas spes velle videbatur, ita nulla omnino res votis respondebat. Ego totum istud tempus ociosè dormitaveram; jamque alto mane somnum excutiente, video hominem meum expansis brachiis in toties jam negatos amplexus ruentem, certè cum tam profunda mentis adfectione, ut nusquam umquam viderim fortilegum aliquem Umbra- rumve conjuratorem, tanta attentione tamque potentibus dæmoniorum verbis res suas agentem

tem

rem quanta quamque exquisitis & excogitatis  
 iste studebat perditio jam, ut putabat, favori meo  
 se restituere. Verum spes istæ erant jam Le-  
 then transvectorum, neque amplius apud me  
 proficiebant, quam olim næniæ Præficarum ad  
 compositionem jam conclamatorum. Namque  
 cum summa reconciliationis inter nos mutux in  
 eo esset, ut basi pacta pacificationis sanciren-  
 tur, neque hoc à me impetrare potuit; Hac du-  
 rante altercatione matrem meam cum hospita  
 prodeambulantem percipit, eam desubito in-  
 clamans: & quæ hæc, inquit, apud vos carnifi-  
 cina colitur? quæ hæc tormentorum licentia  
 est? Ego sane hospites mitiores inventurum in  
 penetralibus Ætnæ montis cavernis credide-  
 rim. Quæ cum gestu, insanix cujuspiam teste,  
 & voce perquam horrida, enunciaffet, hospita  
 consolabunda hominem timido velut sermone  
 alloqui: Malo, credo, ait, fidere afflatum aut  
 Genio ductum huc ad corrumpendas te virgi-  
 nes, sollicitandumque hætenus conservatum  
 pudorem, venisse. Ita malè cedunt omnia.  
 Interim ego veste capta ad meum me conclave  
 subduco, relicto cum matre & hospita amatore  
 egregio. Miser ille jam obstinatus obdurave-  
 rat, eratque lusori persimilis, qui quacun-  
 que impensa damno se jam recepto exuere studet.  
 Ergo erumpit, quasi numquam rediturus do-

B

mo,

mo, sed horæ spatium nō intercesserat, cū onu-  
 stum serico magni pretii purpuraq; tincto pan-  
 no sartorem ad nos præmittit. Erat ei injun-  
 ctum, ut quantum vestiendæ mihi opus esset ad  
 modum corporis mei descinderet, non dissimu-  
 lanti, cupere id, ut hoc manupretio delinitam  
 nocte sequenti ex sententia possideret. Ego  
 recepto oblato munere matrem adeo, quidque  
 videatur percunctor; responsum istud tuli: Ex  
 hæcenus actis colligere facile esse, ardere jam  
 hominem, sursumque & deorsum omnia potiun-  
 dæ mihi acturum & laturum, neque opus esse  
 quicquam ejus gratia de nostro agi; certa enim  
 sum & domum illum nobis ex sententia constitu-  
 rum, & nullo non instructurum quo opus habe-  
 re nos sentiet. Recepta hac matris sententia  
 ego, cui neque deerat ante hac quicquam ad  
 rem emolumento nostro, & penita ipsius perdi-  
 tione instituendam, ita astutiarum talium Exer-  
 citio pollebam, sine mora applico me patienti in  
 publicum fenestræ; vix eò veneram, cū viso  
 illo veniente medias in descensum scalas occu-  
 po, ubi homo obviam factus, non sine adfectio-  
 nis simulatione narrare incipio, testem verbo-  
 rum mihi DEUM esse immortalem, quàm anima  
 intima perculsa fuerim, quod à nobis indicto  
 etiam supremo Salve discesserit; jam verò in  
 ultimis degenti tanto optabiliorem accidere re-  
 ditum

ditum ipsius, ut planè me habiturus sit sequenti nocte nihil pati atque agere recusaturam, quò voluptatem ex me plenam capiat, fruaturque votis ad invidiam tot mortalium felicibus. Audito hoc, cessim deducto ore, longo me basio demulcet. Tum admoneo hominem de cœna opipare nostræ domui paranda, cui nihil scilicet ad rem faciens sit de futurum. Probato consilio adeò rei jam certus erat, ut velut temporis articulo sua sibi manica promendo omnem metum & sollicitudinem projiceret; neque minimum jam momentum præteribat, quod non penes ipsum totos decem annos spacio excederet. Mensis jam in noctem levatis, reduco me eum in locum, quo præteritarum noctium fabulæ delusæ erant, neque quicquam me amori ipsius obnoxiosem facio; unde percitus animum moderari non poterat, quin unum atque alterum colasum repugnantem duceret. Tolerabam ego iracundiæ fructum, interim minis non abstinens, feriret sanè, non de futurum cui satis argenti pro ferocia sua soluturus esset. Quare ad legendas uvas velut necdum maturas incitator, non abstinere usitatis hæcenus querelis & planctibus. Surgit lecto demum; matrisque cubiculum rem omnem narraturus petit; Erat cum matre hospita communis habitaculi locatrix, neque minus quatuor integris horis miserum ductabant

ingentes minas quærelis miscentem, neque minus consilium mulieris poscentem. Dicebat ad extremum mater: Amate filii, nulla te ratione percellere mores Virginis Pudorque hæcenus sanctissimè conservatus debet; quippe nulli eam umquam viro collocuta est hæcenus, neque ipsi adeo satis sacrarum confessionum præfidi. Hoc tamen polliceri ausim id me effecturam, ut nolentem volentem sequenti nocte tibi morigeram habeas; etiamsi morte ipsius Virginis res expedienda sit. Ita absoluto sermone properanti ad amictum sumendum mater bene longam serico textu fasciam dono dat, sumeret, deinceps luctanti manus istas nimium pudicas constringeret; Gavisus balatro capit oblatum munus, neque minoribus impensis tertiam diem lautè nos habet, nocte jam ventâ denuo cubiculum meum admittitur. Non aliæ ibi erant paratæ fabulæ, quam quibus præteritæ noctes vacaverant; sed desperatus hominis furor propositum meum rupit. Videbam penitus animo conceptam necem meam vultu gestuque præferentem, neque negare possum metu coactam consensisse demum in id, quod tot machinis homini hæcenus negaveram. Tulit igitur tam longi desiderii fructum. Neque ego quam personam acceperam, eam ludere propterea desistebam. Ah me, magnis gemitibus iteratis exclamo,

clamo,



clamo, ut misera miserè perii! Raptus est mihi pudor, Virginali honore nuda atque spoliata sum. Nemo hominum posthac depudicatam atque dehonestatam hanc faciem videbit. Ille bonus amator interim extento brachio, quod pulvinari ad caput tectum posuerat, marsupium suum promit, mihiqve non sine præfatione raptæ pudicitiae offert. Inerant crumenæ plus minus quadraginta scutati aurei numismatis, inerant alii viginti amplius argento numerato. Renueram ego primitus, ut quæ nil pretio dedisse videri vellem, ad summum tamen non restiti obferenti, ne liberalitas, scilicet, male locata rusticitate nimia videri posset. Recepto animi, velut conciliatore pretio, coeptæ voluptatis cursus summo desiderio repetitus est, neque forsitan defuisset, qui vitæ discrimine tale quid emere non detrectasset, scilicet. Confecto jam cupiti itineris spatio non continere se homo amore victus poterat, quin iteratis priorum impensis diem quoque noctemque sequentes continuaret. ANT. Est quod isthuc rogatum te vellem. Non senserat, dum hæc geruntur, damnum virginitatis tuæ jam antiquum? neque id indicium floris conservati superesse, quod nos scimus? LUCR. Bellè enim vero. Et censes fatua tu, homines istos multos istarum rerum amplius nosse de virginitatis indiciis, quam

quàm de generationis ipsius certitudine? Nihil  
 minus tamen asseverabam neq; istuc defuisse, &  
 facile erat persuadere credulo aliunde sumtis  
 argumentis, cui suspicionem læsæ virginitatis  
 meæ tot noctium lucta prorsus exemerat. Se-  
 quenti manè mater cubiculum intrat, nosque  
 mutuis amplexibus infessos cubare etiamnum  
 videns, mihi plenam maternæ benevolentia be-  
 nedictionem impertit, illum suaviter admodum  
 salutatur. Ego perspectâ voluntate mulieris, ple-  
 niusque amasium sensibus exuere studens, oscu-  
 lum illi in præsentia matris cum desiderabili  
 complexu pango. Illa non morata & nobis  
 quidem, inquit, omnino cras Româ decedendi  
 necessitas, hodie mihi redditis litteris, de-  
 nunciata est; eamus sanè, filia, ut volunt sangvi-  
 nis nostri studiosi cognati, & tu ossa mea maio-  
 rum nostrorum tumulis compones. Nec alio-  
 qui Roma nos patitur, cujus incolæ fortunæ  
 oportet bonis instructi sint, nobis à talibus ad-  
 modum desertis apud nostros probitas cognita  
 facilem victum parabit. Tibi autem, fili, in  
 obscuro esse nolim, numquam nos patriis pena-  
 tibus cessuras fuisse, si fundos quos ibi reliquos  
 habemus, vendere commodè licuisset, ut inde  
 tantum argenti confici potuisset quantum satis  
 fuisset domui alicui præstinandæ. Neque enim  
 perpeti posse videor matrona tantæ ætatis ge-  
 neris-

nerisque non obscuri, in alieno vivere. At si  
 maximè per absentiam nostram venderetur  
 quod ibi fortunarum superest, sanè difficulter  
 argentum integrum huc ad nos posset transve-  
 nire; erit itaque è re nostra reducere nos illuc.  
 Semper enim, dum mulier fui, in meo vitam vixi,  
 unde ægritudo me habet tecto uti conductio.  
 Interrupto ego matris sermone, & tu quidem,  
 inq̄uo, pro certo istuc credas, neque ignorare  
 te vel sic puto, si unicâ saltim horam consuetudo  
 cum isto, qui animi mei unica spes, qui solum  
 meum corculum est, tam suaviter coepta & jam  
 contestata, interpolanda fuerit, me nullam diem  
 superstitem vivere posse. Cum dicto propius  
 me lateri hominis jungo, repetitisque amplexi-  
 bus non sine lacrymis auxilium ejus imploro.  
 Ille isto me in statu videns erigit se sessum in le-  
 ctulo, & velut indignabundus: Et, per o-  
 mnes, Deos, ait, dubitatis etiam reperisse in me  
 hominem, qui dignam vobis domum & ponere,  
 & positam omni suppellectile instruere atque  
 exornare possit? Poscit mox vestem, sequè  
 ædibus eicit. Dies in vesperam inclinaverat,  
 videmus reducem cum clavi in manu Heroem  
 nostrum. Ponè ibant mercenarii duo cum ta-  
 petibus, mantilibus, omniq̄ue lectorum mensa-  
 rumque ornamento. Juxta duo agasones quis-  
 que mulam agens, utramque ferreis, ligneis,

stanneis, aliisque utensilibus supellectili fami-  
 liari necessariis vasis vasculisque onustam; al-  
 terum latus duo mercatores stipabant ex eo ge-  
 nere qui vestitui ornatuique domestico & forensi  
 instruendo nihil non habile vendunt. Summa;  
 præteritum ferè nihil erat, quod ad instru-  
 dam, atque ornandam splendide domum requi-  
 ri possit. Speciem res habebat patris familias  
 habitatione una in alteram migrantis. Iussa  
 mox secum ire matre ex altera annis parte do-  
 mum illum ducit sanè bellè adornatam, & depo-  
 sitis sarcinis: isthic, inquit mater, habitare de-  
 bes. Reversus sub noctem manu me prehen-  
 sam eodem agit, soluto prius quod locatrici de-  
 bebamus. Aderat & servulus cum plostellis  
 nostram supellectilem, cuius amplitudo sanè non  
 erat ea quæ difficilem vecturam faceret, trans-  
 laturus, ita domo mihi velut propriam data,  
 manere mecum & omnium me fortunarum sua-  
 rum participem facere. Cupio scias, soror, &  
 multum pro sua copia & liberaliter istum homi-  
 nem mei amore prodegisse. Ex altera parte,  
 cum nemo jam me ad solitam fenestræ speculam  
 excubias facere videret, vidisses quasi con-  
 sponso fide omnes amatores certatim novæ ha-  
 bitationis ostium prævolare. Non enim dee-  
 rant migrationis locique indices. Erat unus  
 inter eos, qui mori se amore nostri non tum pri-  
 mum

mum declarabat. Accepi oculorum noctibus,  
 interveniente non minus conciliatrice tertia,  
 amicitiam, neque abhorrere à desiderio hominis  
 demonstrabam. Cumque magis magisque &  
 posse & velle plurima profundere videretur,  
 coepi paulatim abstrahere me prioris contuber-  
 nio, quem jam senseram omnem cum pulvisculo  
 substantiam expendisse: ibi tempus rata planè  
 veniam amatori inani dedi. Prodegerat stoli-  
 dus non solum quicquid possederat, sed & quic-  
 quid credito accipere potuerat, omne ad me  
 detulerat. Terminò solutionis cum non inve-  
 niret unde debitis se exueret, excommunicatio-  
 ne per fana & trivìa omnia publicata urbe, mo-  
 re Romano, totaque regione ejectus est. De-  
 deram ipsi, ut decebat mulierem tam generosam,  
 blanditias, dederam usum corporis mei, dum  
 quicquid pretii pretiosique poscerem, ad me  
 ferret. Postquam decoxerat, clamque metu  
 magistratus commeare ad nos vellet, ostio oc-  
 cluso cum fortunis & meum amorem se perdidis-  
 se serò sensit. Videbatur homini prodigio spe-  
 ctroque simile, eò non admitti, ubi omnia sua di-  
 lapidaverat. Sed qui se de nobis vindicaret,  
 præter mala verba non erat, quibus sanè neque  
 ille parcebat neque nos admodum movebamur.  
 Non multum temporis cesserat, spoliaveram  
 jam ego alterum, aderat tertius neque illi dum

quod ferebat, deerat quod petebat. Ita singulis occupata, non tamen quemquam alium excludebam, qui dignum operam quid largiretur. Erat jam alteram majore domo opus spoliiorum acervos istam non capiente; crescebat interim fama nominis mei, magnique & potentes civitatis viri contubernio nostro non abstinebant, quod temporis vacuum habebam litteris meretriciis impendebam. Venerat in manus meas liber veteris & famosissimi Romanorum scorti, Angelæ Tarrentiæ, titulo *Institutiones Artis Meretriciæ* præferente; Ejus aliorumque diligenti lectione eruditior fiebam plurimis masculæ juventutis, qui cum magnis sumtibus, octennali vel & decennali labore Bononiæ aut Parisiis litteris incubuerint, demum ad suos reversi paullum abest quin tam inepti & fatui sint, quam cum olim domo proficiscerentur. Contra ego spatio non integrorum duorum mensium discendo tantum profeceram, ut magistram omnium nequitiarum jure dixisses. Noram amatorum choros allectare plenos, vacuos dimittere, occasiones accedendi dare, recedendi sumere, fallere, decipere, fraudare, creditibus imponere, rapere isti, dare alteri, utrique illudere, ridere plorando, plorare ridendo, ut cursu sermonis nostri plenius deinceps comperies. Plus millies vendideram virginitatis florem,

rem,

rem, nec deerant qui quasi integrum ambirent  
tamen; neque te celabo notitiã aliquorum in-  
teriorum de meis sceleribus; Bona enim fide  
ita appellare pleraque facinora nostra possim:  
Es enim & tu istarum artium; quod si Alchimix  
quandoque studuisses, jam quid dictura essem,  
intellexisses. ANT. Neque fui ego de isto ho-  
minum genere, neque umquam futura sum, tu  
tamen quod dictura es, dicere perge; sedet  
enim credere omnibus, etiam minime jurata, ita  
nota mihi es. LUCR. Habebam inter ceteros  
unum Amoris nostris deditum, cui sanè pluri-  
mum debebam, (si meretrix tamen debere ali-  
cuiquequam potest, cujus in id solum omne  
studium incumbit, ut bonis fortunisque amatoribus  
ex utrisque solam per fas nefas locupletet.) Huic  
persvaso amari abs me vicissim crudelissima in-  
auditaque tormenta quotidie impingebam.  
Quoque majoribus me donis propitiabat, eò  
pejoribus illum modis tractabam, neque ille  
non plenis manibus omnia quæ cuperem mihi  
ingerebat; ita tota hieme cum nullis non nocti-  
bus præstò mihi esset, cœna incepta, invenie-  
bam unde pactis resiliirem, rixando summoque  
odio conviciis hominem & clamoribus perditis  
excarnificando. ANT. Et quia istud de caus-  
sa? LUCR. Non alia, quam ut malè amatori,  
quòd suo sumtu mecum cœnasset, proveniret,  
neque

neque ullo modo corpore & animo quiesceret.  
**ANT.** Deum fidem, quam inaudita crudelitas.  
**LuCR.** Durantibus verborum contumeliis detinebam hominem cubitu, usque secundam aut tertiam post concubium noctis horam, quod supererat talibus illum intemperis agebam, ut superis inferisque impatientissime malediceret, hæc mihi tum voluptas erat; rogata aliquoties vel minutissima illi amoris mutui indicia imperitirer, cum jam esset surgendi ipse articulus, duabus lacrymulis singulos oculos instructa, tum demum ad illum me vertebam; Eo obtento, si vellet prodire ultra, necesse erat, priusquam quod cuperet impetraret, omnes mihi quos habebat nummos tradere, nec hos solum, sed & dimidiam vestimentorum partem. **ANT.** Eras sane Nerone tu ipso crudelior. **LuCR.** Nunc quis peregrinos tractandi usus fuerit, recensabo. Veniunt plurimi Romam visendæ urbis gratia, ibique octo aut decem diebus transactis revertuntur ad se. Habebam familiares non paucos de apparitoribus lictoribusque, qui Magistratus urbanos stipant; erant hi à me clam conducti ad sedandos, quos ego quotidiè dabam, tumultus, emebantque in tabernâ nostrâ sine argento id quod plurimis maximi constabat. Isti nil quicquam mihi negabant, quin quicquid iussum erat vi, fraude ferroque facerent.



rent. Venerunt peregrini Romam, soluturi  
 vota, aut visuri urbis Antiquitates. Visis anti-  
 quitatibus, & quæ nova in famæ ore erant non  
 negligebant prospicere. His obviam dati ap-  
 paritores mei facile cognoscebant formosarum  
 quoque mulierum desiderio teneri. Illico me-  
 is illos ædibus sistebant, utpote quæ facile isto-  
 rum ministerio primæ habebantur. Neque  
 umquam quisquam mecum accubuit, quin  
 omnibus vestimentis spoliatus nudus recederet.  
 ANT. At qui istuc sese expedire poterat? LUCR.  
 Si quidem cognoscere cupis, non celabitur. Or-  
 to potissimum die intrabat ancilla mea vestibus,  
 ut præfererebat, purgandis extergendisque;  
 sublatis, statim clamore magno profiliebat que-  
 rens, rapta sibi subito latronum adventu omnia.  
 Audito rumore, miser qui cubabat mecum ciere  
 mille juramenta artes istas nostras esse, aditurum  
 extemplo magistratus, sequestratisque omnia-  
 bus bonis meis, re compensationem se damni ju-  
 re prosecuturum; Ego alterum tantum excla-  
 mans: Et tu, inquit, ô scelestissime, ausis de-  
 bonis te meis velle ditem facere? Non sufficit  
 violatam me in propriâ mea domo, nisi & furti  
 nunc misera alliger? Audito cognitoque ab  
 excubitoribus, quos dixi, meis clamore meo,  
 globus illorum advolat, irrumpunt domum gla-  
 diis fulgentibus. Et quæ, inquit, istæ tu-  
 multua-

multationes sunt? quisquamne cives nostros  
 suis in laribus malè tractare injuriisque adficere  
 audet? Instant velle irruere miserū qui adstabat,  
 ille vero videbatur magno aliquo supplicio  
 deorum pacem poscere velle, ita attonitus ve-  
 niam, enormis videlicet, commissi petebat.  
 Nec parum gratiā dignum habebat posse mitte-  
 re familiarium meorum quempiam ad amicos,  
 quorum ille calceos, iste caligas, alter pallium,  
 cæteri necessaria reliqua præstarent, & exeun-  
 do domo mea videbatur sibi de Scytharum po-  
 testate elapsus. tantum discriminis miserum cir-  
 cumsteterat. ANT. Mirum quæ muliebri pe-  
 ctus tuum tot sustinere quæ viverit tam immanium  
 scelerum patratiōem. LUCR. Nullo equi-  
 dem labore. Non enim est usquam gentium  
 tam perfidum, crudele, immane, inhumanumq;  
 facinus, quod tangere possit cor meretricis: lu-  
 sus hi nostri sunt, his magnas nos facimus. Ex-  
 tendebat se longe lateque fama fraudum latro-  
 ciniorumque nostrorum, neque facile redibant  
 semel decepti; Et si redibant, cum res eò venis-  
 set ut vestes ponerentur, servulo alicui aut fide-  
 liorum ex amicis depositum amictum domum  
 portare dabant, qui mane altero, quando usus  
 esset, referret. Nec tamen omni cum hac cir-  
 cumspectiōe & prudentia efficere poterant,  
 quin semper tamen aliquid spoliōrum nobis re-  
 linque-

linqverent, aut quo noctu capitis tegumento utebantur, aut quibus calceos corrigiis subligarent, aut alias quascunque viliores etiam, quisquilias. Quippe nil non utile est furto meretricio; siue pediculus sit etiam piri, siue capitulum acus, siue quodcunque minoris aestimare valeas. Nec omni ista astutia & malitia cavere possumus, quin ad extremum mala pessime pleræque luamus, maximè ab iis, qui venerea Elephantiasi infecti, malâ cum horâ nos accedunt, veroque verius est mulieres quæ nesciunt moderari Juventutem suam in senectâ ætate manere Hospitalia, incurabiliter morboſis destinata, aut necesse esse pigmentis coquendis, aliisve infamibus servitiis victum quærere; siue & ambulare per stationes sanctorum, ut aliorum peccatis expiandis ipsi laborem defectis jam membris hauriant. Est aliud quod narrandum tibi duco. Ut numquam sordide me habui, ita neque umquam eò dementiæ veni, ut manibus me portari, quod ajunt, instar præpotentium Reginarum, cuperem. Semper medio incessu judicium mei pondus servavi. Male sit merito suo illi illive, qui his mundi intemperis suo se modo metiri & regere nescit. Malè sit meretricibus qui servandæ gloriæ nominisque quasi Regii sui gratia, non aperiunt fores nisi Principibus, Comitibusve, aut alioqui potentibus. Non  
magni

magni equevidem accessus istos facio, neque enim  
 multum talibus lucri obvenit. Verba sunt, plus  
 fimi stercoreando agro unum conferre bovem,  
 quam mille muscas. Ea enim gratia plus mu-  
 scarum est quam bouum. Ita vice unius Ma-  
 gnatis domum tuam ingressi, qui te luculento  
 aliquo munere mactet, intrabunt centum alii  
 qui verbis promissa solvant, parum scilicet de  
 iracundia tua solliciti. Mille contra cives bo-  
 nas condiciones tibi offerent, quodque non  
 splendide promiserunt, accurate prestabunt.  
 Adde quod quæ extreme delicata atque mori-  
 bus exculta non est, raro serico in tapete cuba-  
 bit. Videbis sæpius sub turpiculis vestibus, &  
 rurestri amictu latentes pingves prædas, opi-  
 mosque aureos. Porro istud quoque ex me  
 scies. Qui Romæ optimè prodigunt, merca-  
 torum sunt Operæ, Carbonarii, & Dispensato-  
 res; hi quippe una sæpè die scorto alicui ex pri-  
 moribus tantum largiuntur, quantum rationi-  
 bus Dominorum vix integro anno subducere  
 possunt. Atque hinc elucet non tam proficu-  
 um esse applicare se contulis illis cum aulicis  
 elegantibus, quorum vestimenta serico undamine  
 strepunt, quam alterius conditionis non paulo  
 nostri æstimantioribus hominibus. ANT. Et  
 qua ratione istuc? LUCR. Ea, Soror, quod usu  
 experiare, serica ista splendidaque indumenta  
 sæpè

sæpe duplicatis debitis farcta & stipata esse, ma-  
 jorqve pars istorum Thraſonum imitatur testu-  
 dines, quæ uniuersa domo sua onustæ incedunt,  
 neqve pascunt ventrem aliquo opere quod fa-  
 ciunt; &, quamprimum parum aliquid peculii  
 corrasum est, illico pulvisculis barbæ odorandæ,  
 aquis crispitie capillorum sustinendæ, aut colo-  
 rib. vestimentorum calceorumqve renovandis  
 cedit. Et sanè cum videris calceis sericeis or-  
 natos incedere, cogitandum simul erit, plus  
 centum desperatos esse creditores, qui noctes  
 diesqve flagitium illis faciant. Neqve risu ab-  
 ſtinere possum, cum inambulantes video, quo-  
 rum fastus uno aliquo, nescio unde ex veteri re-  
 ſecto, elegantiori palliolo aut vestimento ab-  
 solvitur. ANT. Potest ut tu vera de istis ser-  
 volorum spoliationibus, quippe experientia  
 rem docta, narres. Meo tempore alia omnino  
 res erat, ditioresqve domini habebantur, quo-  
 rum nunc bona pars ministeriorum neqvitia  
 pessumdatur; nec minus seruitia ipsa domino-  
 rum inhumanitate ad malitiam compelluntur.  
 Verùm linquamus jam ista, tuqve potius rerum  
 à te gestarum ordinem nobis; ut instituisti, pro-  
 ſequere. LUCR. Mantuæ degens inescave-  
 ram hominem non nimis astutum. Is inter ser-  
 mones alios sæpius recensere mihi solebat, nosse  
 se omnem stirpem nostram, sperando isthoc se

C

habi-

habiturum de me sine argento, quod nimis misere cupiebat. Veniebat domum nostram instructus suavissimis delicatissimisq; blanditiis, quales vix memini audivisse alias. Ille laudare me egregie: ad mandatum mihi esse, si quid incuriosiori manu in pavimento excidisset; elevare idem quam promptissime, nec reddere mihi nisi osculo prius impacto sibi commendatum; Elapsis aliquot his blandimentis continuatis diebus; votum semel fecit: Et quomodo non capio ego gratia alicujus singularis redhostimentum a te, vita mea, quo impetrato facilis plane mihi mors obveniat? Respondi exrenata, esse promptam paratamque ad omnia ipsius mandata exsequenda, videat quid a me petere velit, non esse quicquam recusaturam. Omnium votorum summa homini erat, dormitum ista nocte cum ipso cederem, suam quidem domum, quam cum omni familia atque supellectile mihi offerebat. Non recuso ego officium, nulla alia conditione, nisi quod post coenam venturam dicerem; esse enim vocatum mihi amicum quempiam intimum, quem fallere minimè vellem. Gavissus ille plurimum, qui & impensis coenae supersedere sic poterat, cum aliud, quod daret, non esset. Adventu consponsae horae sisto me domum ejus; cubitum jam ieramus; cum omnibus rebus intenta, noctis bona parte jam elapsa,

sentiens

sentiens profundè stertentem, exuo meo me-  
 muliebri indusio usu jam districto & perveteri,  
 vicemque ejus virili me ipsius amicio, elegan-  
 ter auro laborato, & recens etiam parato; cum-  
 que ancilla mea summo mane excitatum me ve-  
 nisset, lectulo subito profilio, vidensque in an-  
 gulo cubiculi plurimos linteos pannos lotricem  
 ibi exspectantes, capio junctim omnes, por-  
 tandosque ancillæ capiti impono, involutos  
 prius pallio hominis, eamque ita domum remit-  
 to. Nec dum somno amator exsolutus erat;  
 spacium itaque alterius prædæ rata, conspicio  
 ad fenestram phialas aliquot vitreas odoratis  
 pretiosisque aquis plenas; rapio è vestigio in-  
 de duas, singulaque manu singulum præ me fe-  
 rens domo me proripio. Quid dixerit somno  
 excitatus, tute rationem duces. ANT. Et im-  
 pune ista omnia ferebas? LUCR. Postquam  
 evigilaverat, indusium quærens suum integrum  
 pretiosumque, meum offendit lacerum, & mil-  
 le centonibus consutum, nec adhuc commotus  
 errorem arbitratur, quo properans quid cape-  
 rem non animadvertissem. Verùm lecto pro-  
 diens cum spoliatam domum, & quicquid por-  
 tari potuerat, ablatum videret, iracundia per-  
 citus nomen meum magistratui defert. Com-  
 pingor ego in carcerem. Ad extremum cum  
 testibus rei demonstrandæ idoneis careret, in-  
 mulati

mulati furti ream probare non potuit. Fui tum carcere laxata, & ignominia intentati sceleris penes ipsum mansit. Jamque ridebam ego malos illius successus, qui de me populo fabulam facere cogitaverat. ANT. Ipsi malè sit! LUCR. Nunc aliis attende. Florentiæ amicus mihi erat singularis probitatis homo, mercator opulentus, qui non tantum amabat, quantum adorabat me. Ille me splendide eleganterque habere, ego ipsum exquisitis blanditiis obnoxium tenere; itaque hominem excantaveram, uti planè non crederet aliorum me causa quicquam facere. Dicunt vulgo: *Cajam mori pro Cajo*. Multo maximum hoc mendacium est. Sunt amoribus incerti sui ardores, quos ego pluviis vernis, aut soli hiberno, constantia comparare soleo. Præterea impossibile est mulierem, quæ omnibus se substernit, alicui fidum amorem servare. ANT. Optimè mihi de isto constat. LUCR. Hic, quem dixi, mercator ad animi sui lubricum quibusque noctibus mecum cubabat. Unde ut cresceret Amor meaque apud illum existimatio, operam dabam, ut zelotypia hominem opplerem non sentientem, eò magis quò sæpius mihi affirmaverat, minimè se eo malo tangi. Nunc quo pacto id expedierim putas? Perdicum facio paria comparari tria. Par alterum benè nutritorum caponum, par itidem



dem Fasianorum. Erat opus homine ex aulico  
 famulatio benè vestito, ipsiqve ignoto. Eum,  
 cum ex animi sententia reperissem, quod obsonii  
 præstinatum erat ei impono, cum mandato; ubi  
 accubuisse mecum prandio mercatorem explo-  
 rasset; pultaret subito incursum ostium. Non  
 ego scitius injunxeram, quam ille expeditum,  
 dedit. Perceperam ex conducto impetum pul-  
 fantis, jubeo ancillam, admittat quicumque sit.  
 Intrat cubiculum, & salute dicta: Meus, inquit,  
 Dominus Comes de Monte Turco, Hispanus,  
 de venatione sua vobis, Domina, has partes mit-  
 tit, jussitq; peramanter orare suo nomine qua-  
 lecunqve donum accipere, eoqve læta esse ve-  
 lis; se venturum huc ipsum salutare Amores su-  
 os, quamprimum opportunitas se commodior  
 obtulerit. Ego velut intimè commota, vultu in-  
 latus detorto respondeo: Quos tu mihi Comi-  
 tes de Hispania narras, quæ isthæc impostura  
 est? Obsecro te, bone vir, quod attulisti Do-  
 mino tuo refer; non enim opus est alio mihi Co-  
 mite, quam quem juxta me isthic vides, qui me  
 bonis suis factis a deo sibi obnoxiam fecit facit-  
 que, ut per integrum vitæ spacium illi mancipio  
 meritò volensqve servitura sim. Hoc sermone  
 ad illum versa timido & percusso basium pan-  
 go, nec parco servulum convitiis plurimis pro-  
 scindere, abeat cum malo Deo, qui infustum

pedem huc invocatus intulerit. Mercatori meo jam paululum animi redierat, itaque tanta me iracundia insultare latori tam bonarum rerum videns, non tulit stultitiam. Et tu quidem, ait, fatua es præter solitum; sume enim verò id, quod missum est, neque sine insigni rusticitate refutare potes. Tu autem, optime famulorum, dic Domino tuo Comiti Puellam istam grato animo accepto munere vescituram. Expedito negotio post factas, nec minus svaves tamen, arrisiunculas: Et quid censet, inquit, hoc genus hominum? Numquam ullum à me basium iste Comes impetraverit, quæ majoris æstimo soleas vestras, quam quinquaginta Comitum familiaritatem. Gratiis ille ampliter actis ad curam negotiorum suorum recedit. Interim dum abest, ego fabulam deludere insisto. Accerso apparitores meos, quos dicto audientes habuisse ante narratum est, ut videlicet iurgiis duellisque à me excitatis meo emolumento arbitri adessent. Cum iis rem compono. Sole jam occaso, quo tempore cœnare mecum, siveverat, foribus nostris adsint, famulum habeant versutum, qui facem accensam manu gestet, recedant paullum cæteri à foribus, ita tamen ut videri de fenestra cubiculi mei possint, vultibus omnes sint tectis. Pulset mox is, qui facem jactet, ostium. Res peracta est, ut iussi. Pulsatæ  
fores

fores aperiuntur. Intrat homo neqvissimus ; Comes, inqvies, de Monte Turcio, Dominus meus isthic ad fores est, cupitqve admitti, salutaturus te, Domina, utpote qvam amat. Nihil isti deerat qvo minus Hispanum putares; gestus, civilitas, reverentia sermonis, omnia apprimè benè conveniebant. Respondeo instar perturbatissimæ; Dicas velim Comiti Domino tuo, magnoperè orare, ne mihi molestus sit, habere me mecum Comitem meum, qvem curem, qvem amem, propter qvem moriar, cumqve dicto ambobus me brachiis collo amatoris injicio. Recepta sententia sycofanta recedit, nec longum moratus pultat impetuosius ostium. Veto ego, ne qvis meorum aperiat; tum audire facile poteramus clamantem. Dominus Comes rumpe-re mox fores istas, aut injecto igne cremari jubebit, nisi admittetur illico. Non tuli ego istas, ut putabantur, contumelias, meqve fenestræ pronam applico. Quid isthuc, ajo, negotii est? Poterit qvicunq; est Comes iste frangere, qvin & in cinerem redigere non fores modo, sed & domum istam omnem; dic faciat qvod lubet. Ego tamen amore amici mei non cedam latum ungvem; illum amo, ille me curat, ille me qvæ sum fecit, illi ego vicissim debitam fidem numquam fallam, neqve mors ipsa mihi hac amoris constantia erit inamabilis. Dum ego ista con-

C 4

cionor,

cionor, appulerant ostio quinque vel sex satellites isti nostri, tanto utique tumultu & strepitu, ut quinquaginta ipsos majorem cedere potuisse non credideris. Unus inter illos, voce ad superbam imperiositatem ficta: Tu profligata, inquit, senioque jam tabida meretrix, scias poenitendum te hujus tuæ arrogantiae. Neque cuculus ille tuus tam bellus politusque unquam erit, quin ipsi pumicatam illam faciem mediam gladio discindam. Facietis, inquam ego, quod poteritis: Ego nobili homine facinus indignum semper putabo, velle honestis mulieribus vim in ipsarum facere domiciliis. Elatrassem dehinc mille alias furibundæ mulieris ferocitates, nisi à mercatore ipso retro veste presa deducta fuisset. Ille, cederem fenestra, jubet: sufficiat, inquam, hæc nobis tanta horum contumelia; siquidem nec causa esse cupis, ut exeuntem hinc frustatim discindant Hispani isti. Reposita cœnâ majores etiam gratias mihi dicebat conservati amoris sui, quamque de se existimationem haberem, quales solent vindicatoribus suis, qui carcere diuturno liberati, insperatam jam vitam velut denuò ingrediuntur. Sequenti statim mane vestitum mihi serico pretiosissimo curavit, neque ad vesperam quisquam illum domo emovisset, nec si Pontificiam quoque dignitatē promississet, adeo metu fulminis istius

Hispa-

Hispanici hominem obstupescerat. Singulis-  
 que, quæ loquebatur, verbis addebat: Ha,  
 quàm bellè Lucretia mea excipere novit Comi-  
 tes de Hispaniâ! ANT. Et quæ de causâ isthuc?  
 LUCR. Persvaseram jam olim fatuo sex septem,  
 Comites Magnatesque alios eodem me modo  
 ludos fecisse; jubendo illos præstolari adven-  
 tum meum sub ficu quadam in horto nostro, idque  
 tam diu, donec plane desperato adventu meo abs-  
 cesserint. Jurabam item credulo, quòd una  
 præteritarum noctium, ipso mecum dormiente,  
 subtus in cella me frustra expectarint. Primas  
 quidem urbanorum hominum cum pluribus  
 fervitiis, nec minus in atrio atque porticu alii  
 totam noctem voluptati ipsius excubuerint.  
 Percepto hoc, ne causa ulla mihi foret aliorum  
 gratia quicquam ab amore ipsius remittendi,  
 pensionem, quam mihi satis lautam constitue-  
 rat, duplicem porro præstiturum promisit, meque  
 pluribus præterea pretiosisque donis splendide  
 muneravit: quosque uspiam habebat amicos,  
 iis aliud frequentius nihil recensere solebat,  
 quàm quanto ego ardore, fide, constantia, mu-  
 tuo ipsius amori responderem. ANT. Nobili-  
 ter sanè istas fraudes architectata es. LUCR.  
 Si istæ tibi egregiæ videntur, attende, habebis  
 alias non paullo illustriores. Mediolani sæpius  
 lectum meum frequentabat jactantissimus mi-

les, qui multo tempore Senis, Genuæ, & in expugnatione quoque Romæ meruerat; alia ejus insignia nunc non edam; forma certè tali erat, ut viso à dimidio lapide, facilè quævis audacissima mulier in fugam se dedisset. Tota jam urbe fabula ferè nulla erat crebrior, quàm de Cadæmone isto militari. Verùm nosse jam ante tu debes, me id quod possideo non tam instar mulieris malæ, sed prorsus dæmonis cujuscumque, acquisivisse. Sed hoc alterius loci erit. Nunc in isto pergamus. Cùm una noctium de latere se meo levaret, video marsupium homini decem Aureis esse farctum. Prædam jam animo præceperam. Altera itaque nocte nil ommissum est, quod ad occupandam facere poteram. Verùm, incassum labor cadebat, licet nec lucernam eade causa extinxerim, & aliquoties lecto me subduxerim. Venit tum in mentem hæc mihi fallacia. Nacta eram semel hominem vacuum curis, qui censeret scilicet verbis me pasciturum, neque quoquam constiturum perpetuum ipsi meum contubernium. Constituebam horam institori cuidam linteario, qui veniret petendum à me decem aureos, quos pro merce scilicet deberem jam olim creditam; veniente illo militi me arctius applico, brachiorumque altero collo circumplexo, altera manu suaviter barbam demulceo, basisque plurimis verberatum interrogo;

rogo;

rogo; nunc, ut puto, dices mihi quæ sit ea, cu-  
 jus te amore perire civitas loquitur? Respon-  
 sum in promptu erat, Nolle neminem, quæ pe-  
 ctus suam possideret, præter me. Delectata  
 velut hoc responso magis etiam magisque blan-  
 ditias intendo. Dixeram ad extremum: Ani-  
 ma mea, nihil mihi optabilius eveniet quam am-  
 plexibus tuis noctem istam sequentem indormi-  
 re; cum ancilla: jamdudum, ait, Domina, insti-  
 tor noster lintearius in atrio nostro præstolatur,  
 te convenire cupiens. Jubeo adscendere man-  
 det ubi sim. Rogat me miles ille generosus ex-  
 templo, quid hominis esset iste lintearius, quidque  
 ex me posceret? Vetus, ajo, quoddam debi-  
 tum ei apud me est, decem aureis non amplius,  
 ejus solutionem poscit: mox ancillæ ego; sume  
 hanc clavem, cistaque quam in angulo isthic  
 vides, prome bono viro suos decem aureos.  
 Dum illa molitur, ego delicias meo Achilli lar-  
 giter cumulo; instare, protracto tempore, in-  
 stitor, & abitum maturare. Ancilla vero hinc  
 & inde cistam obibat, quippe ut ex composito  
 Lintearius quod non debebatur poscebat, ita  
 clavis ea minime cistæ recludendæ apta erat.  
 Surgo ergo velut turbato animo, & quid tu, in-  
 quio, perdita, an de more tuo hanc quoque  
 clavem pessum dedisti? hæc verba pugni cla-  
 moresque insequuntur, mando demum, fabrum  
 accersat

accersat ferarium, qui ferro cistam aperiat. Ibat  
 illa & redibat, fabrum in ædibus nullum esse  
 caussata. Hæc fabulæ summa erat. Versa e-  
 nim ad militem; Per amores te, inquam, no-  
 stros, spemque voluptatis hodiernæ obsecro,  
 pugnator strenuissime, si præsto tibi hæc est ar-  
 genti summa, mutuo eam des, ut flagitator iste  
 importunus absolvatur; cum primum arcula de-  
 clusa fuerit, omne tuum ad te redibit. ANT.  
 Fecisti sanè isthic laudabile facinus, neque me-  
 lius quicquam quisquam excogitaverit, sanè  
 ego numquam audivi. LUC. Vix poposceram,  
 cum ecce tibi decem istos aureos promptos;  
 quos illico histrioni meo trado, isthic, inqvi-  
 ens, frater, tene quod poscis. Eo absoluto  
 ego revertor ad cistam nostram, eamque mani-  
 bus pedibusque aperire molior, quin & saxum  
 ingens prehendo, quo post infinitos ictus nihil  
 tamen proficio. Misertus bellator, quin, in-  
 quit, jam fabrum aliquem alium accersis, ista  
 enim ratione diffringetur prius arcula quam re-  
 cludetur. Jamque asinus ultra solitum morem  
 magnum se faciebat, neque aliter quam servulæ  
 cuiusdam suæ mihi loquebatur, tumidus officio  
 præstitorum decem aureorum. ANT. At quam  
 plane bos erat generosus iste eqves! LUCR.  
 Reduco me ergo, & in lectulum pronam do, vi-  
 delicet mediæ diei calorem cum amatore sva-  
 viter



viter exemptura, neque magni tamen pende-  
 bam, siue luberet homini, siue secus. Cum  
 commodum ostium pulsatur, cupidam prospice-  
 re de fenestra, quisque esset cognoscere, non  
 finire ille, multo minus cubiculo excederem  
 pati. Omnino tamen inter luctandum homini  
 elabor, patientique me fenestræ approno; Vi-  
 deoque juvenem nobilem mulæ insidentem,  
 operto capite, qui cognosci nollet, mihiqve  
 ascenderem pone sessura, innuentem. Accipio  
 ego conditionem, sumtoque palliolo unius ex  
 famulis ipsius, ( quippe reliquo vestitu virili, de  
 more amicta eram ) eo me involvo & jumentum  
 adscendo. Vix discefferam, cum furibundus  
 miles imagines, quas in cubiculo reperiebat, me-  
 as diffringere, tapetibus parietes spoliare, ve-  
 lut ulturus ludibrium damno rerum mearum; e-  
 rumpit dehinc ædibus, instar aleatoris perditis  
 pecuniis feri; moxque reversus cum forcipibus  
 malleisque cistam invadit. Ancilla mea, ad-  
 modum istarum rerum gnara, clamore magno  
 vicinos ciere, adesse latronem, qui clara  
 die ædibus vim faciat. Nil minus strenuè  
 properare ille, donec aperta arca planè se irri-  
 sum sentiret. Inerat quippe nihil præter pi-  
 gmenta quædam, fucosque faciei manibusque  
 colorandis, tincturas capillorum, pulvisculos  
 dentibus candidandis, emplastra extirpandis  
 pilis;

. Ibat  
 esse  
 erfa e.  
 n, no-  
 secro,  
 est ar-  
 r iste  
 ula de-  
 ANT.  
 e me-  
 t, sanè  
 ceram,  
 mtos;  
 inqvi-  
 soluto  
 mani-  
 axum  
 s nihil  
 in, in-  
 , ista  
 am re-  
 nosem  
 rvulæ  
 officio  
 quam  
 u CR.  
 do, vi-  
 e sva-  
 viter

pilis, ollam unam unguenti vellendis cruribus, duas phialas aquæ sceleratæ, cujus tu usum non ignoras. Verùm narranti mihi ista mea facinora evenit quod confitentibus peccata in fanis solet, qui proposito velle omnes vitæ universæ nævos recensere, cum ad pedes Sacerdotis veniunt, nec dimidiam partem dicendorum meminertunt. ANT. Dic igitur, quæ meministi, nam hæc forsitan memoriam cæterorum reducent animo. LUCR. Sic sanè faciam. Stolidus quidam de Rure vendiderat vineam, totum suum patrimonium. Summa ex ea redacti argenti erant centum aurei. Tumidus de pecunia animum inducit ducere me velle uxorem. Tonfor erat negotio pararius, unus de intimis meis. Ille nomine ipsius me compellat, visa pecunia simulo non abhorrere hominem, spemque talem, do, ut certum se conjugii jam æstimaret; frequentabat jam domum meam, nihilque blanditiarum illi negabatur. Sed quomodo? nondum integer mensis ierat, & centum illi aurei expensi erant ornandis ædibus meis; cum stupidissimus nebulo non nisi semel aut bis, amplius certè non, meum panem momordisset. Ratio amoliendi post profusum patrimonium hæc erat. Orabam amicum quempiam meum præstituta ad me die viseret, & si contingeret præsentem istum invenire aut accedere, irato similis, ense hominem

minem

minem impeteret. Non erat opus pluribus ambagibus, viso ille ferro, utpote turbato amissione nummorum animo, fugit numquam reversurus; alteraque die intrat Cœnobium monachali habitu res mundanas deserens; ita probe irrisum amovi. ANT. Et cur irrisum? LUCR. Maxima meretrici oblectatio est gloriari posse de perditione, destructione, illusionem, hominis fide ipsi data decepti. ANT. Pereat qui commodis nostris invidet. LUCR. Quantos ego nummorum cumulos corrafi, intromittendis domum nostram istis, illis aliisque exturbandis! Coenabant plurimas noctes mecum amici & amatores mei, sublatis eduliis; par chartarum lusoriarum mensæ injiciebam, poscens, luderent de paradidis cupediis, quas dulciario opere conditas noscent mulierculis esse gratissimas. Summa ludi erat, in cujus nomen Rex cubo rubro signatus veniret, ille quod propositum epulis erat, solveret. Luso soluto, sumtis cupediis, chartæ mensa non tollebantur. Aderant utique aliqui Nepotes, quibus temperare lusu tam possibile erat, quam malæ mulieri abstinere decipiendis adventoribus. Promptis nummis, fervere serio lusu negotium. Alebam ego inter illos duos sycofantas, habitu nobilium, magnos simplicitatis simulatores. Illi lusu plerumque ordiri solebant. Sumtis vero chartis, quæ falsiores me ipsa

ipsa erant, fallaciis instructissimi facilè omnem  
 accumbentium pecuniam malis artibus trahe-  
 bant. Ex altera ego parte non contenta char-  
 tarum adulteratione, signis, indicis, noctibus,  
 mille technis ludentium damna illis signifi-  
 bam. ANT. Optimos lusus narras. LUCR.  
 Cum Ferrariæ viverē, conducta duobus aureis  
 uni ex amatoribus meis indicium faciebam, ini-  
 micum ipsius duabus ante lucem horis mecum  
 dormitū venturum, solum; Explorata ille re ob-  
 truncat hominem, amplexibus adhuc nostris ca-  
 lentem. ANT. Quare duabus ante lucem ho-  
 ris? LUCR. Quod eo tempore alius à me re-  
 cederet, jam satiatus voluptate. Et censes uno  
 me solo tota aliqua nocte contentam esse potuis-  
 se? Millies singulis noctibus surgebam à latere  
 amatoris, nunc dolores caussata stomachi, nunc  
 naturæ necessitatem; interim descendens dare  
 gaudium illis, qui stationibus suis tota domo dis-  
 positi tempus suum quisq; expectabat. Æsta-  
 te vix lecto calefacto surgebam, caloris nimii  
 prætextu, & spaciata solo inducio amicta per  
 cubiculum, paulum ad fenestram morabar, Ibi  
 cum Luna, stellis, cæloque fabulari orsa, indi-  
 piscebar duos tresve amatores unius vicem,  
 quem in lecto relinqvebam. ANT. Omne  
 quod non audemus aggredi, perdimus. LUCR.  
 Certa veritas est, Audi aliud, Opus mihi  
 erat

erat sepositis decem aut duodecim amatoribus,  
 quibus jam quod darent super non erat, eos in-  
 star cadaverum vita caessorum proiecere cupie-  
 bam. ANT. Quibus, quæso, artibus? LUCR.  
 Familiarem habebam medicum, habebam &  
 herbarium; quibus quidvis tuto credere pote-  
 ram; cum his præsentibus ad mandatum meum  
 rem compono. Cupio, inquam, morbum simu-  
 lare, ut omnes amatores mei quod curent in me  
 habeant. Tu, medice, cum in lecto me videbis,  
 præsens vitæ periculum persuade, medicamen-  
 ta præscribe maximi pretii; tuque, herbarie, ra-  
 tionem cum procis nostris pone; contra mittas  
 mihi minimi pretii quascunque quisquillas.  
 ANT. Jam certe, quod ante dixti, credibile vi-  
 detur, coegisse scilicet te nummos tuos instar dæ-  
 monii, non mulieris; siquidem illis homines de-  
 fraudasti, quos medicis pro te dare putaverunt.  
 LUCR. Acuto ingenio mulier es, & istud tibi mi-  
 rum videtur? Attende historiam. Dignum  
 erat risu negotium, cum accumbentibus mecum  
 omnibus subito in coena strangulari stomachum  
 fingerem, cum maximo animi deliquio, atque  
 ita uno momento subter mensam deciderem.  
 Mater mea accurrere, rei gerendæ ordinem  
 probè docta, nihil non lamentationum & que-  
 rimoniarum comminisci, denique ope amato-  
 rum elevatam lecto me imponit; Nihil jam su-  
 pere-

D

pere-



pererat, nisi ut pro mortua plangerer, quod sanè fiebat prolixis cum ejulatibus. Elapso ita aliquo temporis spatio, subito altissimum gemitum erumpo, manibusque ambabus pectori impositis, Sacerdotis opem flagito. Inter hæc mater plurimum se adfligere, nec diffiteri tamen sæpius hoc malum me impetere solere. Esse cordis dolores, adeoque opus ocius esse prudente medico. Nondum verba finierat, cum duo provolant sciscitati, quo uti soleam: edocti nomen, domumque, illico medicum attrahunt. Pulsus ille duobus subtiliter digitis tentat, dixisses tensas testudinis fides compressisse. Jubet extemplo ab se præscripto unguento pectus mihi illināt, clamque duobus, quos magis familiariter mihi condolere viderat, seductis, ne ego videlicet materve quicquā audiremus, Pulsus isthic, inquit, prorsus evanuit. Ita cubiculo se eicit. Plures tum Amatorum consolari matrē satagebant, quæ prorsus animum despondere videbatur, nec te cæcè præ se ferebat, mortuâ me sese proximo puteo præcipitem infilituram. Cæteri medicum circumstabant occupatum præscribendis medicamentis, quæ Pharmacopoliis coemerentur. Schedio absoluto, unus ex procis non moratus famulos, ipse sibi istud officium poscit; nec mora pacto cum herbario pretio ambabus manibus onustus redit, insignem vim pretiosorum, scilicet, medicamentorum trahens.

hens.

hens. Jam composita atque applicata ægræ erant, cum recedente medico, novi matri labores suboriuntur. Nemo erat ex omnibus, qui cedere domum vellet; singuli excubare noctu ad lectum decumbentis velut ex voto cupiebant, nemo devectire se. Noctæ præterita relictis omnibus medicum petunt, ex quo intelligunt citra spem salutis sequenti me nocte obituram, nisi medicamenta cordi de novo applicentur. Opus esse Viginti quinque Aureis Venetianis, quos ipse aquâ ad id præparatâ dissolvere nosset, ne quicquam de auri substantiâ restaret. Unus qui prolixius mihi studere videri volebat, raptò pallio illico prædictum auri pondus matri meæ in manum sistit. Illa, ut erat docta, arcæ suæ damnatum injicit. Damnatum dico; eadem enim operâ quis irremeabile iter ab inferis ad superos redire poposcisset, quâ quicquam ex illius potestate recuperare. Adeo quod semel arripuerat, eripi mulieri nihil poterat. Quid, quæ bonæ res victui ægrotæ paratæ fuerint, enarrem singulas? Nihil, quod optabam, non aderat. Adeoque ope medici istius plus centum Aureis in potestatem meam veniebat.

ANT. Et nihil mali mora tibi illa in lecto, sanæ videlicet, diuturna pariebat? LUCR. Quid mali, cum sola cubarem? Jam herbarius fomentis mihi corpus prædelicatis fovebat, fricabat medicus; advolabant Capones, vini pretiosissimi

fini copia erat; nec quoquam universâ urbe ex  
 Candiâ amphora appellebat, quam ego virgi-  
 nem prima non deflorarem. ANT. Ædepol ri-  
 dere libet. LUCR. Mercator ille, de quo ante-  
 hac tibi fabulata sum, narrabat mihi grande de-  
 siderium, quod teneret, ex me patrem esse.  
 Quo percepto, occasione datâ, tristem me fa-  
 cio; manè, noctu, & interdiu mille me modis ad-  
 fligo, & querelas mirificas necto; duabus buc-  
 cellis comestis, quatuor exspuo, ad singulas  
 vices, quæsta amara esse omnia, quæ mensæ in-  
 ferantur. Ille me tacitè acriter intuens secum  
 murmurabat: O si Deo ita placeret! Et, ve-  
 rò, cum domo ille exierat, fessor nullus tan-  
 tum, quantum ego cibi sumere poterat, tamen  
 præsentem hominem optimè perdidisse me gustum  
 omnem fingebam. Res eò redibat, ut nihil  
 quicquam de communi mensâ gustare vellem.  
 Jam vertigine caput torqueri, jam stomachum  
 nihil eduliorum admittere, jam menses tardari  
 palam vociferabar; nec matri meæ clam fate-  
 bar, prægnantem esse. Aderat fatenti medi-  
 cus, intimus secretariorum, qui rem ita esse adfir-  
 mabat. Quapropter prudentissimus ille ama-  
 tor noster jam in eo totus erat, ut, quos compa-  
 tres vocant, pariendæ soboli quæreret, magnâ  
 vi caponum pascendorum, casei, lardi, butyri,  
 carbonum, aliarumque rerum domum nostram  
 opplebat. Nullus recens allatus terræ fru-  
 ctus,



ctus, nullum cupediarum genus tam carum erat,  
 quin primum visum præstinareret atque ad nos  
 ferret; credo alterum etiam oculum pignori  
 dedisset, modo ne male pariundi mihi occasio  
 abs negligenti curâ veniret. Interim ego pror-  
 sus nulli rei manum admovebam. Ille cibum  
 ori indere, ille portare, ducere, cubitum pone-  
 re, affidenti latus fulcire; jam risu res digna erat  
 audire plorantem quoties minimos ego dolores  
 simularem. Semel tantos singultus dabam, ut  
 pro certo putarem ipsa condolentiâ hominem  
 animam efflaturum, præcipuè cum ad extremum  
 dicentem inter suspiria audiret: Anime mi, si de  
 partu isto mors me abstulerit, commendo vobis  
 filiolum nostrum. Testamentum dehinc facio,  
 in quo hæres ipse scriptus erat; id descriptum  
 curiosè amicis suis hinc inde monstrabat, ad-  
 jectâ clausulâ: Videatis, amici, an non justæ  
 me causæ Amori hujus mulieris mancipient.  
 Detinueram jam hominem mendaciis istis plus  
 duos menses. Cum lapsam me casu fingo, &  
 abortum insecutum. Instruo matrem agnellum  
 factâ ovi exsectum comparet, eum pelvi aquâ ad  
 rem temperatâ plenæ injiciat; eo viso nemo non  
 jurasset verè abortisse. Cum res ad illum de-  
 lata esset, coramque fides facta: mediam homo  
 barbam evellere, enormi planctu omnia per-  
 cellere; Augebat dolorem & ex dolore cla-

D 3

mores,

mores, quod ex matre intellexerat, masculum factum fuisse, & ipsi patri; videlicet perquam similem, præcipuè rectitudine crurum. Sepeliendo mox nescio quot aurei impensæ sunt, vestitus luctu mutatus. Maximumque se in omni vita, (etiã nunc moriendum foret) dolorem ex eo percipere præferebat, quod nec sacro fonte intingi, nec tumbâ honorifica sepeliri quod ex se natum esset, licuisset. ANT. Et quis consilio isti pater erat? LUCR. Ut verum fatear, ovicula & supervenientes mihi menses, non sine aliis rebus, quæ melius tacebuntur; Et jam tibi svaviora auditu recensere malo. ANT. Ut libet. LUCR. Aliquando multum diuque animo volvens, quo pacto possem ditescere, ut unde viverem rebus adversis superesset, invenio rem valdè sanè meretrici perditæ utilem. Quid censes? Rapere quicquid oveniret, tam quod vilissimum quam quod alicujus pretii esset. Successit conatus. Nemo umquam mecum caput limabat, qui non sui aliquid domi meæ invitus relinqueret. Indusia, capitis tegumenta, calceos, pileos, gladios, chirothecas, talia omnia paullo negligentius habitata ego continuo in potestate habebam. Erant omnia utilia domui meæ stipandæ, nec spes ulla erat saltim videndi deinceps quod semel ego involayeram. Habebam familiares quoslibet  
 etiam

etiam sordidos homines; Lintearios, Olivarios, Pirarios, Ficuarios, & quicquid vendendis vilissimis quoque rebus victitabat, ad illos usque qui paleas quisquiliasque aut excrementa ædibus efferebant. Inter illos jam lites erant, quis me magis amicam uteretur. ANT. Et quo emolumento istuc? LUCR. Fenestra prospiciens cum præterirent vendundis mercibus, licet opus mihi iis non erat, appellabam; sique amatorum quispiam aderat, duplici pretio comparari quod lubebat, faciebam; saltem ut obstrictos homines favori meo tenerem. Ad ultimum nemo ædes meas intrabat, quin ad minimum aureo uno, dimidio, aut quartam parte plus quam putarat, expenderet. Sæpè quatuor aut quinque præsentibus docta malarum artium ancilla intrabat: Domina, inquam, quod hoc aut illud comparari de foro aut aliunde iussisti, scias argentum mihi datum non sufficere, ita accrescunt omnium rerum pretia. Male, regerebam ego, mala pereas! Et non erat, qui tantum tibi aut auri aut argenti præberet? Et quantum, sodes, pretio deest? Una sola pars dimidia aurei. Ego statim proximum procorum intuita: Et non est isthic, aiebam, homo alius quis tam magnificus, qui tantillo argento nos donare ausit? Minus se generosum cæteris putabat, qui postremus mihi argentum offerret.

D 4

Ita-

Itaque unius dimidii vicem sæpe quatuor aut quinque integri aurei ad me veniebant; & quotidie plenis manibus ancilla matri portabat, quod eo argento domui instruendæ aut nobis vestiendis comparabatur. Uni aliqui lino nos donabant; alteri, ut fufis duceretur, pretium numerabant; nec deerant qui texturem curarent. Non cessabant interea fraudes, furta, latrocinia. Venientibus aliis, aliis recedentibus, quatuor, quinque, junctis dici jubebam, occupatam esse; Unum interim solum intromittebam; cui exclusis cæteris noveram tales dicere blanditias, ut, domum reversus eadem illâ die, quicquid boni in potestate esset ad me mitteret; cujus vicem à me noctem sequentem dono habiturus esset. Mitterebat ille ad nos quicquid opiparæ cœnæ instruendæ facere noverat. Jamque die prono ad condictum veniebat. Indicari ego homini jubebam, post paulum revertetur: Ibat, redibat, responsum denuo ferebat, esse adhuc magnoperè occupatam, rogare ne molestè ferret paulo etiam post reverti. Tertio domum pulsanti nihil omnino respondeatur. Quare iracundiâ merito motus nihil non minarum ostio occinere, superos inferosque testes vindictæ mox parandæ ciere. Ego interim risu jocoque iram eludens cum altero cœnabam; id quod misero illi qui iram suam non

capie-

capiebat tanti constiterat; parum sollicita de eo quod furiosè domui meæ oblatraretur. ANT. Et si homo ille alicujus erat pretii, quo pacto tibi non inde mali quid oriebatur? LUCR. Fuerit qui voluerit. Duos tresve dies iracundia isthæc durabat. Verum dehinc memoriâ deliciarum nostrarum redeunte, dum quod ad nos miserat non plane perditum cupit, dissimulata injuria paulatim se nobis reddit, & uno alteroque verbo allocuturum nunciari jubet. Ego vero me mille sermonibus patere respondeo. Reclusis foribus subit ille totus odoribus perfusus, dictitans; minimè credideram mihi istas res expetituras domui vestræ. Et ego, anima mea, credere mihi debes, quòd, quam te, alium neque curem neque amem, neque memoriâ habebam. Et si scires, quâ de causâ nocte eâ domo abfuerim, scio probares potius, quam incesseres absentiam; nostræ autem familiaritati ego tantum tribuo, ut si cupiam, facilè hanc mihi culpam condonaturus viderere. Optimè novi acumen ingenii tui, jam suspicaris me ad Advocatum quempiam liti alicui coram magistratu expediendæ itasse, & sanè rem tetigisti. Inter hos sermones collum hominis invado, & cor penitis penetralibus eblandior, ut ille posita omni injuriæ memoriâ tranquillior, quam umquam fuerat, redderetur, jamq; instar oviculæ

panem de manu mea peteret. ANT. Pessimè  
 erraverit, qui tibi non Cathedram aliquam Pa-  
 risiis assignaverit. LUCR. Tuas virtutes me-  
 mores. ANT. Verò non. Tu eam mereris, ut  
 pote omnium qui terram hodie tegit, longè sa-  
 pientissima. LUCR. Pergamus, soror. Cu-  
 pio enim noveris, quibus artibus dives esse oc-  
 cœperim. Erat Venetiis homo nobilis & po-  
 tens, qui amore nostri peribat. Is in suburba-  
 num me suum unum alterumque mensam tradu-  
 cere studebat. Famam per universam urbem,  
 spargo in longinquas regiones ituram, & per  
 præconem quicquid vilium rerum in supellecti-  
 li erat, venum propono. Ista vero venditio  
 non poterat fieri sine summis ingratis reliquo-  
 rum, quos Amatores tenebam. Rebus distra-  
 ctis, argentum ego fœnori expono, & ne quic-  
 quam horum rescisceret, is quo cum ego profi-  
 ciscebar, sedulò caveo. ANT. Quid vero su-  
 pellectile divendita opus erat? LUCR. Ut  
 de veteri novam procuderem videlicet. Re-  
 ditu enim nostro per urbem divulgato, recurre-  
 re Amatores ut formicarum agmen ad frumenti  
 cumulum. ANT. Debebant miseri damno suo  
 sapientes esse, ne tibi crederent quippiam.  
 LUCR. Non nego omnes artes eo fine non ex-  
 erceri, ut argentum inde quæeratur. Sæpe ani-  
 mi gratiâ miseros illudimus. Sæpè illis excre-  
 menta

menta nostra & muliebria quoque pro epulis  
 fuere. Novi ego par meretricum, quarum no-  
 mina poni opus non est, quæ ad affigendos sibi  
 amatores vomitum illis suum; aliasque inhone-  
 stas dictu res, capillos, pilosque turpes, come-  
 dendos dedere. ANT. Tace, per te omnes  
 Deos rogo; nisi jam intestina omnia vomitu me  
 ejicientem cupis videre. LUCR. De aliis ergo  
 audi. Candelam pingvi humano inductam in-  
 censamque probavi, & ad multas res utibilem  
 perspexi. Verum omnes istæ magicæ technæ,  
 incantationesque, herbæ siccatae ad umbram,  
 funes quibus fures in patibulis strangulati, un-  
 gues mortuorum, sermones dæmoniorum, nihil  
 sunt nisi paullulum venti comparatione factâ  
 cum eo quod ego novi. ANT. Non puto pe-  
 jorem te mulierem ullis seculis fuisse. LUCR.  
 Nolo mendacem me tibi arbitrere, quod dico  
 verissimum est. Plus ego scio, quam omnes  
 Philosophi, Astrologi, Alchimiæ, Nigroman-  
 tici, & quicquid umquam talium hominum fuit.  
 Experta sum, & didici quot herbæ in pratis re-  
 periantur, quot verba inter vendentes ementes-  
 que per mercatus eant. Verum omni istâ sci-  
 entiâ numquam potui movere cor hominis; solâ  
 verò salivâ mea, (id est amplexu & basiis) inun-  
 gens tam furiosè furere, tam bestialiter obstupe-  
 fieri plurimos coegi, ut instar idoli me Amores-  
 que

que meos adorarint, neque, etiam plurimarum  
 consuetudini assueti, ausi sint alterius mulieris  
 vel solam faciem intueri, dum quidem ego vel-  
 lem. ANT. Vide sis in quo consistant secreta  
 incantatoria! LUCR. Sunt illa in sensu & inge-  
 nio, sensus eadem vi præditi sunt ad attrahendos  
 miserorum nummos, quæ nummi ad attrahendos  
 sensus de Monasteriis. ANT. Si ingenium  
 sensusve eâ vi sunt quæ nummi, licet cedat ipsis  
 robore Roncesvalles, in quo duodecim Pares  
 occubuerunt. LUCR. Cedat sane. Sed nos  
 propositum persequamur. Infige memoriæ  
 quam nunc versutiam narrabo; erit enim, ut o-  
 pinor, non ingrata. Habebam amicum adeo  
 biliosum, ut nihil supra; similis videbatur cupi-  
 enti prodigere plurimum, qui nihil haberet. Si  
 musca homini nasum insederat, non poterat  
 quin mille me contumeliis proscinderet. Ve-  
 rum subito fervore præterito, genibus se sup-  
 plicem mihi adjiciebat, brachiis crucis effigie  
 compositis, veniam flagitans. Huic nobilitas  
 mea pœnam argentariam de marsupio suo in-  
 jungebat. Et certa dare hominem prolixo a-  
 nimo quod poterat, tantâ desperatione opple-  
 bam, ut videns surgentem de latere suo, & alte-  
 ri me viliori applicantem, duplum mihi persol-  
 veret, nec simplum debens. Re eò redactâ,  
 ut componi inter nos habitæ lites deberent,  
 averso



averso vultu despectabam hominem, neque  
 quicquam divini aut humani deinceps cum illo  
 commune habituram præ me ferebam; unde  
 tanto furore capiebatur, ut recuperandæ bene-  
 volentiæ meæ omnia mecum bona sua partire-  
 tur. ANT. Secuta es morem nebulonum ho-  
 minum, qui irritant potentes ut se verberent,  
 pro plagis receptis mox pretium petitori, ita  
 damno corii sui adversariorum pecuniosorum  
 marsupiiis illudunt. LUCR. Inveniebam inter  
 cæteros hominem, qui istis me artibus decipere  
 posse crederet. Verùm numquam ille ad ullas  
 nundinas venit, ubi minus lucri faceret. Per-  
 suasus erat octo decemve peccatis mortalibus  
 Confessori narratis, posse rem absolvi. Ve-  
 rùm ego tibi assevero, nullam tam malè inge-  
 niosam aut stupidam meretricem esse, quæ non  
 ipsa centum unâ solâ horâ committat. Et quæ-  
 so te, quantum putas ream esse, quæ altari suo  
 velando, mille aliena templa spoliare non me-  
 tuit? Soror Antonia! Gula, Ira, Invidia, Su-  
 perbia, Sacrilegia, Latrocinia, Cædes eo die  
 natæ sunt, quæ prima meretrix artis nostræ pro-  
 fessionem fecit. Et si scire cupis, quot modi  
 sint jugulationum meretriciarum, considera  
 quanta damna in Conviviis & Procurfionibus  
 velatorum, quas Mascaras vocant, dare sole-  
 ant. Quod si nosse velis, quanta cum rabie do-  
 mo

mo suâ una aliqua profiliat, pro certo dico, si  
 posset, uno igni universum omnem mundum  
 concrematuram esse. ANT. Sanè de hoc non  
 dubito. LUCR. Superbia meretricia major  
 est, quàm opulenti Rustici. Invidia damnosior  
 est, quàm Lues Venerea, cum jam in medus ossi-  
 bus regnat. ANT. Et ante te rogavi, & nunc  
 denuo oratam volo, si amica me uti cupis, non  
 facias meminisse me hujus mali. LUCR. Igno-  
 sces soror; non enim subierat te illud tenere. Ira  
 atque inimicitia malæ mulieris nocentior acu-  
 tiorque est quàm melancholia Calonis, mala cum  
 gratiâ servitio abdicati, cui neque obolus ex-  
 pendendus superest. Avaritia ejus similis est  
 triparci ditis furori, qui ventri atque gutturi su-  
 is multis bonis buccellis subreptis corradit sem-  
 per, ut id quod acervatim domi habet, aliquo  
 semper augeat. ANT. Isto sermone, ubi reli-  
 qua est libido meretricia? LUCR. Qui semper  
 bibit, numquam sitit; raro famem sentit, qui  
 plenæ semper mensæ accumbit. Quod si ali-  
 quando majori nos clavo figunt, cibus iste no-  
 bis est instar ejus, quem mulieres prægnantes  
 appetunt, quando viridibus adhuc granis, ter-  
 râ, cretâ, aut rudere vesci pica facit. Et juro  
 tibi, ita det DEUS adseqvi me quod quæro, li-  
 bido res illa est, cujus ratio minima inter omnes â  
 nobis habetur. Namque cogitationes nostræ  
 in

in eo solo sunt, ut sanguinem usq; ossibus omni-  
 bus exsugamus. ANT. Certè nec istud non  
 crediderim. LUCR. Bonâ ratione credideris.  
 Quod enim tibi narro, ipsa est veritas. Et ita  
 illa me juvet, ut sæpè contigit esse me sex se-  
 ptemve integras horas cum aliquo homine, aut  
 integram adeo noctem; qui cum quingenties  
 me allocutus foret, toties responsum adeo di-  
 versum â sententia tulit, ut non defuerit qui al-  
 teratis amore sui sensibus me tam penitus alia re-  
 ponere crediderit. ANT. Prius puto Æstati  
 unde caleat defuturum. LUCR. Aliorsum ego  
 sanè tum cogitabam. Nam cum primum ama-  
 tor noctem nostram habiturus, aut meridiatum  
 veniens, domum intrasset, sensus & cogitatio-  
 nes meæ jam in tabernis linteeriorum, aurifa-  
 brorum, & talium erant, neque vestem jam tri-  
 tam habebam quam non recenti mecum muta-  
 rem. Atque sic rationem ducebam. Homo  
 iste ad minimum altero manè recedens decem  
 me aureis munerabitur: quos ubi tenebo, illico  
 dominum domus accedo, proque trimestri ha-  
 bitationis tres solvo, eo fine ut reliquos altero  
 tanto spatio non exigat. Hinc lintearium me-  
 um convenio, proque eo quod credidit aliquid  
 solvo, paciscens de prorogatione reliqui, dum  
 commodum mihi sit. Eadem ratione reliquos  
 debitores compello; Interim tunicam lætioris  
 coloris

coloris aliâ commuto; si quid superest, orna-  
 mento reliqui vestitus aliquid impendo; Si que  
 res ex sententiâ cedit, præstino eadem operâ  
 quatuor frumenti modios, non enim male id  
 proveniat, nam & mater pinsat inde panem, aut  
 placentas, quas ancilla vendat. quodque pistrici  
 supererit, id nos velut gratuito comedemus,  
 pretio jam videlicet recuperato; neque fufu-  
 res inde deerunt, quibus cribro decussis, aves  
 alere nonnullas usui erit. Quod si de furno  
 statim vendi poterit, emolumentum duplex  
 erit. Et coqvendi enim sumtus aberit, & de  
 justo pondere subtrahi poterit. Vide sis, soror,  
 inter istiusmodi cogitationes, quis locus libi-  
 dini esse poterit. Neque his solum perdidisti  
 tempus, sed & aliis pluribus mentis alterationi-  
 bus. ANT. Expecta soror. Hæc vero ratio  
 numquam decipiebatur fortunâ? LUCR. Quin  
 sæpissimè? Nam si semper ex voto res successis-  
 set, quantas, censes, pecunias corrogaturam  
 fuisse? Secundum copiam scilicet adventorum;  
 Accidebat & caritate ut annonæ nonnumquam  
 alio res irent. Verum quod dictu maximè opus  
 erat, id penè, fatua, oblita eram. Ut veniebant  
 nonnumquam qui argentum instar palearum  
 projicerent, ita aderant alii tam perverso atque  
 rustico ingenio, ut juramento, relictis videlicet  
 domi cum ære marsupiiis, sese absolverent. Alii  
 cum

cum mercatu rem facerent, jurabant menfas  
 eo die non aperiri, nisi admodum serò, quod-  
 que impossibile esset, id apud me tempus expe-  
 ctare, ita sine nauulo Veneris nostræ cymba tran-  
 sibant. Quod si redire contingeret, tum vi-  
 disses ut ego erudita eram exigendi & veteris &  
 novi debiti, non enim poterant quin de ludo mi-  
 hi dato egregie satisfacerent. Hic sæpius ex-  
 perta sum lapsum inter cogitationes tempus,  
 dum nimirum mecum rationem pono, tantum  
 mihi hominem istum daturum si cauta sim; sin,  
 forsitan aliorum exemplo decepturum; ita sanè  
 perraro animum in eo quod acutabatur habe-  
 bam, verùm tam sæpè remotum, ac si quingentis  
 lapidibus ipsa abforem. Unde eò redeo unde  
 veni, libidinem in nobis minimum malorum es-  
 se, optandumq; reliqua nos non magis affice-  
 re. Verùm rogo facias gratiam mihi eam, ut  
 porro narrantem audias; nobiles enim elegan-  
 tesq; tibi astutias dehinc recitare volo. **ANT.**  
 Recita ut libet, nam usque alterum manè ego  
 sine fastidio aurium te audiam, ita svavia facino-  
 ra narras, male fit qui talibus non delectatur.  
**LuCR.** Inter cæteros tres me homines amabant:  
 Pictor unus, duo fabri scutarii. Quæque con-  
 cordia inter canes & catos solet, inter hos erat.  
 Condixeram singulis unâ eâdemque ad me no-  
 cte, nemine alterius adventum vel suspicientem.

E

Acci-

Accidit pictorem primum ostium pulsare. Admissus ingreditur cubiculum, affideo. Venit & alter Scutariorum, voce indicium faciens. Ea ego cognita svadeo pictori sese paullum abscondat, ita alterum admitto. Dum cum primo inter descendendum altercor, nescio quid sentiens alter: Et ita malum abs me infortunium absit, ait, ut ego frustum illud pictorculi hic offendere cupiam, ut pugnis scilicet benè pexum præcipitem aliquando ex sententia ejicere possim. Non audierat minas pictor, quippe obloquente me furibundo; Venit interea & tertius, cui de signo sibili mecum convenerat, quo audito ostium aperiendum constitueram. Huc illuc animo versans, quo pacto præsentibus cæteris & hunc admitterem, aperio tandem, & Scutarium alterum submoveo eum in locum, quem pictor jam occupaverat. Tertius iste cum scalam subiret, hæc prima verba dabat: Cupiam isthic aliquem de amatoribus vestris invenire, ut manu hac mea aliquando nauci hominem confodiam. Neque credas tu, soror Antonia, magniloquentia hunc inertiam animi palliare potuisse. Audierat minas pictor, nescius scutarium isthic absconditum esse, itaque profilit furibundus, unoque simul momento & alter, cupidi ambo cominus cernere magnificum istum jactatorem. Et hic quidem duobus ad

se

se profluentibus visis, properabat retro cedere, ut videlicet tergum angulo muri munitus, promptius à fronte resistere posset. Sed nescio quo infortunio defunt homini pedes, & præceps in malam rem, lumbis pessimè contritis, scalis procidit. Nil minus duo reliqui descendunt, tresque, utpote inimici capitales, isti tanto cum strepitu clamoreque manus conserunt, ut ingens populi vis ad fores concurreret. Sed neque ostium omnino aperiri poterat. Unus enim ex pugnatoribus illis egregiis humero valvæ obtinebatur. Ita crescebant concursus hominum & furor confligentium, cum bonâ istorum fortunâ præfectus Vigilum præter domum nostram it, qui audito armorum sonitu impigrè repagula frangit, ostium emolitur; raptisque secum perduellibus carceri junctim omnes unimancipat, faucios, sanguinolentos, ut offenderat; juramento addito præsentario, numquam exituros custodia, nisi prius bona fide omnibus odiis renunciantes sese sibi mutuo conciliaffent. Et illi quidem paullo post ex inimicis amici facti sunt. ANT. Herclè vero historia ista egregia erat. LUCR. Vide quæso an non optima. Ego vero omnibus dehinc adventoribus nostris fabulam hanc studiosè narrabam; sique non metuissem jaclantiæ notam in vulgus, versuculis editis historiæ seriem populo

proposuissem. ANT. Dii tibi reddant gratiam. LUCR. Et reddant quidem. Ut vero isthoc & aliis talibus risum omnibus moveram, ita contrà plorare faciebam alio artificio. Romæ vivens in flore Fortunæ & Opulentiaæ meæ, cum ætas corporis & gratia conversationis maximè me expetibilem facerent, neque deessent plurimi qui amarent, atque colerent; animum induxi valedicere rebus caducis, & Solitariae habitu me includere monasterio ei quod in Campo Sancto est. ANT. Qua de causa isthic, neque potius ad Divum Petrum, aut Johannem Lateranensem, aut denique quodvis aliud cœnobium? LUCR. Quod principium propositi mei esset, movere animos amatorum cum prope tantos mortuorum ossibus structos montes vitam me degere visuri essent. ANT. Optimè cogitatum. LUCR. Jamque religioso nomine palam ambito, incipio vitam velle ad sanctitatis regulam componere. ANT. Priusquam pergas scire velim, unde furor iste animum occupaverit, velle monasterio includi. LUCR. Ut clauastro splendide sumtu amicorum omnium eximerer. ANT. Benè, benè. LUCR. Incipio igitur histrioniam. Principio omnia quæ domi tapetia habebam parietibus diripio, & terræ prosterno. Altera die mensam contraho vestimento sine omnibus deliciis sutili me am-  
 cio



cio. Demo collo monilia, pectori catenas aureas, totum quod ornando corpori erat, detraho. Fingo continuam esu potuque abstinentiam, neque nisi semel die cibum capio. Omnibus familiaritate interdico, neminem etiam intimorum ad colloquium admitto. Ita die diem premente omnibus vitæ emendationem, persvadeo; furere interim quicumque amore mei flagrabant, & penitus desperare velle. Ego cognito jam urbem rumore propositi mei plenam esse, congero quicquid pretiosius possidebam, idque securo in loco colloco; pauperibus, quod vilius erat, erogo, velut jam cœlestia sola cogitans. Cumque tempus esse videretur; omnes amicos benevolosque meos convoco. Qui quidem matre & patre se singuli orbos censebant, quod meo contubernio carendum esset, quibus sanè longè melius fuisset numquam me uno verbo salutasse. Congregatos, sedere iubeo. Ipsa medio loco assidens paullum vocem premo, dum secretas quasdam voces, quas ex illis olim audiveram, animo recolligam; profusisque prius, quæ nescio quo pacto tam properè restagnabant, lacrymis: Amici, inquam, Patres, Fratresque multo mihi dilectissimi; Qui salutem animæ suæ in hac vita non cōsiderat, obtinere illam ille in altera non potest: si quis vero eam cōsiderat, neque quid obtinendæ conveniat,

niat, exigit, spe labitur. Volo ego dum vivo  
 ita vivere, ut animæ immortalis perpetuæ felici-  
 tatis certa sim. Quapropter isthic vos docere  
 volo, esse conversam in meliorem sententiam  
 Concionibus crebro auditis, & lecta historia  
 Mariæ Magdalenæ. Insuper timore infernali-  
 um poenarum, quas pictas vidi; ut proposuerim  
 quidvis agere & perpeti, ne in locum tam fer-  
 ventem aliquando migrare necessitas sit: pec-  
 cata enim mea tam grandia & enormia sunt, ut  
 magnopere Deum vindicemque justitiam me-  
 tuam. Quapropter, amici mei, secludere à  
 mundo hoc corpus cupio. Miseri jam dudum  
 murmurabant secum videre in me tantam devo-  
 tionem, ut religiosi homines non possunt suspiriis  
 abstinere, cum Passionis Dominicæ seriem re-  
 censere audiunt. Sed ego persequens oratio-  
 nis ordinem: Non placent, inquam, mihi de-  
 hinc pompæ, elegantia, risus, joca, delicia.  
 Nulla ædium ornamenta jam quæro. Domici-  
 lium corporis mei ad extremam pulcritudinem  
 compositum erit pes latus cubiculi, nudus o-  
 mnibus quæ ornamenta mortales vocant. Le-  
 ctulus mihi erit fasciculus fæni, junco textili in-  
 stratus. Cibus erit gratia Domini; Potus, aqua  
 pluvia. Locum tunicarum auro argentoque  
 splendentium, quibus gaudere flos membrorum  
 meorum solebat, vilis panniculus tenebit. E-  
 rant

rant

rant parata in promptu de quibus loquebar, itaque monstrabam cominus omnia. Mirifici jam undique planctus erant, suffocari velle gemitibus & ejulatibus omnes videbantur, vixque vox supererat miseris, qua clanculum alter alterum alloquuti furiabant animos. Verum cum adjicerem: Fratres charissimi, supplex vos veniam offensionum posco; Tanti clamores, tanti planctus oriebantur, ut spoliari denuo urbem crederes. Unus inter ceteros stipes projecto ad pedes meos corpore orare, desisterem incepto, & cogitationes istas animo exterminarem, cumque nihil profectaret, caput continuis ictibus parieti illidit. Altero mane hora ad sumendum habitum & inclusionem mihi praestinata a jurasses totam urbem ad sanctum campum congregatam venisse, ita premebant se velut indicta communi omnium criminum venia, jam caelum petituri, neque scio an publica indictione absolutionis, major umquam populi concursus fuerit. Miseri vero amatores mei non minus animo torquebantur, quam quibus hodie sententia mortis cras exsequenda nunciatur. Ut rem absolvam. Inclusa sum publica totius urbis commotione. Pars populi laudare Deum, qui ad meliorem me vitam vocasset. Pars commendare exemplum, quod voluptatibus flore aetatis renunciassem. Alii clamare: &

quis hoc unquam credidisset? Alii videntes  
 non poterant quod agebatur credere. Erant  
 qui miraculo simile arbitrabantur. Nec de-  
 erant ad extremum qui riderent dicitando:  
 Suspendio me aut aliam malam morte afficiam, si  
 unum solum mensem isthic mulier ista moratura  
 est. Momentum vix erat, cum notare licebat,  
 catervatim templum ingredienties Procos no-  
 stros omni opere quaerere aditum ad compel-  
 landum bonam suam Vestalem. Juro tibi, (ita  
 me Dii malo illo liberent, quo tu infecta es) nul-  
 lum unquam Regium palatium tam diligentem  
 custodia septum fuisse, quam illi aditus nostros  
 stipabant. Post elapsos paucos admodum di-  
 es, incipio aurem sollicitantibus praebere, neque  
 abhorre instantium commonitionibus, posse  
 Animam in quocunque loco salutis suae certam  
 esse; Quid verbis opus est? Eripiunt me clau-  
 stro, domum de novo omnibus ornamentis mihi  
 instruunt. Ego sequor trahentes, ruptisque vi-  
 tae inceptae difficultatibus priori me libertati  
 reddo. Non minor exultatio de reditu meo  
 per urbem erat, quam cum Pont. Max. anno  
 jubilaeo ad referendam portam auream primum  
 lapidem movit. Summa, melior me quam  
 unquam Veneris meae favor sequebatur. Totam  
 Romam risu jocisque rumor rem gestam differe-  
 bat; praecipue exultare vidisses eos, quibus no-  
 tior

tior genius noster fuerat. Excipiebant se mutuis  
 dictis exprobrando suam sibi invicem stulti-  
 tiam. Et non, dicebant, benè conjectura no-  
 stra cecidit, non hunc ego finem prædixeram?  
 ANT. Nescio an umquam mulier sapientiâ tibi  
 comparabilis extiterit. LUCR. Meretrices, so-  
 ror, non tam mulieres sunt quàm Cacodæmo-  
 nes, eoq; nomine faciunt paria his, quæ ut â me  
 patrata recensita sunt. Ad hoc juro tibi, ita te  
 amo, atque abs te amari cupio, ut mala mulier  
 omnis in pectore gestat testem perditæ vitæ sti-  
 mulum, qui animum perpetuo morfu angit, neq;  
 quietem veram in vitâ sentire patitur. Neque  
 ulla futuræ ætatis spem tam bonam habet, quin  
 metuat aliquando sordidis ministeriis ad tole-  
 randam vitam alligari, ut sunt plurima quæ tur-  
 pi paupertate male actam juventutem ulciscun-  
 tur, quorum ut partem tu prudens & docta mu-  
 lier paulo prius attigisti. Confiteorque loco  
 unius Lucretiæ tuæ, quæ fortunæ adversæ mali-  
 tiâ suâ elapsa est, mille alias in turpibus hospita-  
 liorum postsceniis computruisse. Neque de-  
 sunt usu docti, quorum neq; tibi nomina igno-  
 ta sunt, qui pari lance æstimandos amatores  
 cum istis infelicibus mulierculis censeant. Et  
 hic ille stimulus est, quem animi nos perpetuo  
 angere dixi, neq; corde solo quiescere, sed men-  
 tem ipsam excruciare. Hic sanè attonitas red-

dit, ut metuamus quid senectâ ætate nobis futurum sit; ne ad extremum vilissimis quæstibus addicendæ simus, an comparemus juvenculam aliquam quam intra pubertatem nostris artibus advescamus, aut potius talem, quæ, cû primum familiæ nostræ accesserit, lucro nobis illico esse possit. ANT. Et quoties hoc ego fieri vidi? LUCR. Plurimas ego vidi, quæ & tam grandia & tam varia sibi suisque nomina facerent, ut adventorum nemo scire potuerit, quo ex iis vero censerentur. Horum nomina modo Juliam, modo Camillam, modo Paullam, modo alium titulum præferunt. Has nulla alia ex occasione magnificentissimè se gerentes videas, quàm quod insigniorem aliquam prædam ostiû præterisse viderunt; Verum vice unius, quæ matrem suam habeat, quam me & habere nosti, & sanè quanti sit non ignoras, mille aliæ sunt, quarum natales incertissimi habentur utpote repertæ ante valvas templorum infantes, aut alioqui à parentibus, abjectæ ad opulentiorum domos, ut impossibile sit genus ipsarum cognoscere, licet fastuosissimæ nihil non nobilitatis sibi arrogent. Nos ipsas, nostrique similes, si benè calculum ponas, nunquam videbis alios patres quàm Cardinales, Episcopos, Magnates, Proceresque, jactantes. At quam immania mendacia dicamus, facile is animadvertet, qui considera-

bit

bit nobis ipsis impossibile esse genus paternum agnoscere, cum tot infellores quotidie admittamus, tamq; variorum semente horti nostri contaminentur, ut hortulanum de plantis cognoscere velle, hoc verò sit meras insanias garrire; Fatuæ quoque ipsæ matres sunt, quæ cum innumerabilibus se substernant, id student, ut de uno aliquo viro matres factæ videantur. ANT. Certissimè ita se res habent. LUCR. Jam miserimus animo ille est, qui in manus incidit meretricis cum matre viventis; miserrimum, inquam, si semel ab iis mansuefactus hamum momorderit. Ætas si ea est, ut ferre valeat, tantum matres sibi cupiunt quantum filia potiri possunt. Unde necesse est deceptionibus natarum ipsæ latrocinia sua jungant; ut castigare crumenas eorum possint, quæ de illis male sentiunt aut loquuntur. Hæ moris habent semper se novis recentibusq; applicare; namque qui adveverint, aut ætate sint majore, perquam raro illis diu adhærebunt. ANT. Bona ratione ita agi puto. LUCR. In quanta pericula se præcipitem dat, de cujus bonis mater & filia quasi fortitò ludunt cum solæ secum misero plagia nectunt! Quot despoliationibus consilia tum firmantur, inquam diras crudelitatum species convenitur! Quod genus incantationum non extundunt. Quibus non modis marsupium hominis exenterant, & miseri

miseri ipsa viscera deglubunt? Nullum, affirmo tibi, gladiatorem tanto tempore aperto ludo armorum usui monstrando vacasse, nec tot modos incurfandi defendendiqve docere potuisse, quot una talis filia seu adoptiva seu naturalis institutioni maternæ debet. Dicunt illis: Cum amator tibi tuus venerit, hoc illi dicto opus erit, vide ut istuc ab eo petas; hoc rei momento fac amplexere, his modis oscula oppangas; Tractabis omnino illum, ut summa Imperii penes te maneat: neque contempnas hominem nimium, neque vero promatius obsequendo despicabilem te facias. Omnis in extremo vitetur excessus. Neque illi soli te tradas, non omittes interdum & aliorum meminisse, & cum copia erit, iis quoque eodem modo adesse. Finge maximè interdum suspiciosam, finge timidam, diffidentem ipsi, sollicitam de rebus tuis. Promitte, nega, jura, perjura, simula, mentire, amataque odio habe, ut alea cadet. Pete semper quod mutuo det, quod donet, emat, restituat, reficiat; Opus habes annulis, armillis, mitris, tunicis, argento, auro, vasis, ornatu, mundo. Quod mutuo acceperis, meminisse oportet, ut semper commodo tuo minus facias; quia, ut coelum terræ misceat, amplius efficere post omnia non poterit, quam ut recipiat, quod dederit. ANT. Ut mulier sapiens & docta & experta plurimū loqueris, quæq; sciat, quid suarū, quid



quid alterius sit partium. **LuCR.** Credas factis meis, omnia isthac modo gesta sunt. **ANT.** Et tu fortè ita mala fuisti. **LuCR.** Dum meretricem professa sum, omnibus viribus eò laboravi, ut nihil non experirer quodcunque pessimarum mulierum ulla umquam tentavisset, semperque id studui, ut conscia mihi essem nullam umquam tam perfecte malam, tamque omnibus modis perditam fuisse. Quod si post homines natos aliqua peior pessimis fuit, quæque inter profligatissimas princeps esse mereri potuerit, eam licet censeas fuisse Lucretiam hanc tuam; quæ jam inde à quartodecimo ætatis anno nil quicquam omisit, ut ad fastigium muliebris & meretriciæ malitiæ ascendere posset, & ex eo tempore ferè semper magistra magistrarum fuit. Verùm omittamus jam deinceps hæc, & de aliis loquamur, quæ majoris sunt aliquanto momenti. Quot miseros amatores meos cædi feci, quot fustigari, quot vulneribus concidi? **ANT.** Dic hæc mihi, ita senectute tua fruaris ut juventute usa es; etiam an umquam pœnitentiâ capta sis ob minuta ista flagitiola? **LuCR.** Affirmo tibi, quod usque huc Infinitas Indulgentias redemerim, ita ut sperem animam meam post hanc vitam non futuram inter postremas, quibus Paradisus debeatur; ita ut corpus non fuit ultimo loco inter ea, quæ voluptatibus se caducis devoverunt, dum hic vixerunt.

xerunt. Neque ea causa puto inter ultimas me salute potituram, quod homicidiis nonnullis auctrix fuerim, quippe cum id existimationis meae causa fecerim, opinata ad gloriam meam facere, quod vicinensibus mea de causa relucere. Miserrimum illud terque quaterque miserum, qui aliqua saltem in re me offendisset, quippe ad Carnificem me ipsum applicassem potius, quam ut minimam etiam occasionem vindictae atrocissimae amissem. ANT. Nempe neque quod malum est, bonum; neque quod bonum, malum censere possis. LUCR. Sit quod velit; & feci ego haec, & facti me nondum poenitet. Sed quid tibi dicam de artibus iis, quibus furiare amatores adveveram? ANT. Ut redeat potestas tibi easdem denuo exercendi. LUCR. Aliquando & saepius quidem, decem amatores simul domi habebam. Inter eos dispertiebar delicias, blanditias, suavisque voces, ut ingenio tanto singuli alii in lectulo nostro in campis Elysiis jam esse viderentur; mox cum quo videbatur sola intrabam cubiculum, tum reliqui moriebantur moerore. Audiebantur inter illos suspirationes alte petita, putasses ignotos quosdam exterosque esse, qui langvore perirent; mox suboriebantur stridores quidam cum morsibus extremorum digitorum; mensa deinde manibus pulsabatur, non sine acutis

tis

tis quibusdam cantitationibus, ad iræ impetum paulisper avertendum. Mox scala reptim incensa erumpebant cum mille diris devotionibus fores patentes; quas si quando clausas reperibant, tum vero ex hominibus tauros factos dixisses. ANT. Neque Mendoza ille tam crudelis fuit. LUCR. Tu es una de piissimis, scil. ANT. Et sum certe, & esse me equidem glorior. LUCR. Quanta voluptas erat in media voluptate, quam mecum quis carperet, projicere subitas lacrymas, sine ulla causa; Cumque rogasset ille, quid istæ sibi vellent, fictis suspiriis, singulantiq; voce respondebam: Ah me! non sum ego illa amata vestra amplius, despectui tot modis misera habeor, satius esset non vivere me, quam hæc talia ferre; Relinquer jam ab vobis, repellar, & projiciar. Sed patientia mea me solita involvam, quandoquidem ita fortunæ meæ placere video. Alia vice cum ad duas tresve horas à me quis recederet: Et quorsum vos nunc, inquam, discedere dicam tam diu mansurum? an ut deformis & despiciabilis hujus corporis vilitatem amplexu speciosioris & nobilioris amicæ pensetis? Hanc ob causam stulti fatuique arbitrabantur venire ad me aliquem hæc nunciatum, aut me tantopere ipsorum amorum delinitam esse, ut haberem homines qui in facta ipsorum inquirerent: sæpè cum duos dies quis

quis

quis abfuiſſet, ad reditum hominis per quam  
 ſuaviter ſufflebam, ut perſuaſum haberet, lacry-  
 mas gaudio viſi ipſius mihi emanare. ANT.  
 Debebas paratas lacrymas in manica tenere.  
 LUCR. Scias factam me eſſe de petrarum ali-  
 qua, quæ ſemper aquis deſtillant. Verùm in  
 omni vita mea non potui flere, niſi uno oculo.  
 ANT. Et cur non duobus, ut cæteræ? LUCR.  
 Meretricum eſt, non niſi uno oculo lacrymari  
 poſſe; matronarum duobus: monialium verò  
 quatuor. ANT. Svave hoc quam maxime  
 abs te audio. LUCR. Erit voluptati tibi, ſi &  
 cætera aliquando dixerò. Pro certo habeas,  
 ſoror, proque comperto credas, meretrices uno  
 ſaltim oculo flere, ridere ſemper altero. ANT.  
 Non abibis hinc, niſi hoc ex te audivero. LUCR.  
 Neſcis tu tot annorum ſcortum, nos alterum  
 oculum riſui ſervare, lacrymis præſto ponere  
 alterum? Cum veriſſimum ſit de nullius pretii  
 re flere, & ridere de minoris quoque nos poſſe?  
 quodque oculi noſtri ſunt inſtar ſolis alicujus  
 nubibus obducti, qui modo promicat radiis,  
 modo eosdem reabſcondit; de medio planctu  
 ſubitò exſilimus in riſum, in riſu medio non deſt  
 materies lacrymis. Quantum id attinet, quo  
 de uno ridemus, de altero ploramus, ego ma-  
 gna utriusque artifex fui, neutris non cum ſum-  
 ma gratia, & majore quam quævis alia mei tem-  
 poris

poris mulier meretrix. Hacque arte plus cordium prædata sum, mihiq; mancupio addictum reddidi, quàm capillos vertice collectos gere. Neque est alia res nobis nostræque professioni magis utilis & necessaria, quàm quæ de risu & lacrymis jam recitata est; sed cauto opus est, ut momenta utriusque argutè observes: nam quod tempore non suo feceris, pro infecto licet habeas. Estque hoc genus comparatum, ut de Rosis, quas Damascenas dicimus, vulgo notum est eas nullius boni odoris esse, nisi ad ipsum Auroræ exortum colligantur. ANT. Quotidie est unde quid novi discas. Ego ipsa, quamquam qualem videas talis sim, non pono spem experiundi plusquam quatuor de istis tuis egregiis facinoribus. LUCR. Postquam risui lacrymisque, quod decuit, solutum est, subeunt illico mendacia; quorum ego usu frequentior fui, quàm rustici nostrates aliorum. Et credas mihi plus me horum dixisse, quàm arenæ in mari est, & faciebam credibilia incredibilia additâ copia juramentorum, quibus ita fascinosos habebam homines, ut cum aliquid proferrem non minor dictis fides esset, quàm si Notarium Apostolicum audivissent. Inveniebam res inauditas, narrabam admirandas; Hinc ad Debitores Facultatesque meos veniebam; persuadebam, horribilia, omnia ad meas res trahebam, neque

F

dissi-

dissimulabam consignata habere, quæ loquuta  
 essem. Erat mihi in cœnaculo tabula continens  
 nomina omnium à quibus amabar, inter eos no-  
 ctes meas per septimanam distinctas habebam;  
 aberat ordine suo vocabulum ejus, qui ea nocte  
 mecum cubiturus esset. Vidisti puto in scholis  
 consignata puerorum discentium nomina, indice  
 parieti aut valvis appenso. ANT. Memini  
 aliquid tale vidisse. LUCR. Nosti igitur quid  
 tibi narrem. ANT. Sed quid tabulis & nomi-  
 nibus cum tuis mendaciis & gloriationibus?  
 LUCR. Dicam nunc. Stolidi, certi per indici-  
 um tabulæ, quæ pars in Amore nostri illos ma-  
 neret, decipiebantur misere, pluribusque nocti-  
 bus spe frustrati plorabant. Quippe suffice-  
 bam ego alteri alterum; neque hoc semel, sed  
 quoties collibebat. ANT. Videor nunc quæ  
 sis cognovisse. LUCR. Audi plura, & quæ so-  
 sis attentior. Petebam mutuo catenam auream  
 præmagni pretii ab homine, qui me enixè depe-  
 ribat. Ille eam ab altero commodatâ sumebat,  
 qui ipse conjugis suæ collo detractam amico  
 non negabat. Acceptam ille suis mihi mani-  
 bus aptat, eo die quo Pontifex Maximus pluri-  
 mis pauperculis puellis donaria dat, in Mona-  
 sterio Minervæ. ANT. Annunciationis dicis.  
 LUCR. Verum est, ea ipsa die catenâ me cinge-  
 bat, sed non diu illam habebam. ANT. Et cur  
 istuc?

istuc? LUCR. Ideo quia quamprimum tem-  
 plum ingressa tantam inibi hominum multitudi-  
 nem offendi, cogitavi facere, quod me deceret,  
 hominemque catenam intervertere. Detraho  
 occultè aurum collo, & amico proximo trado,  
 qui sanè magis conscius secretorum meorum  
 erat, quam Confessor mihi ordinarius, & postea  
 quum turbæ me densissimæ immerissem, incipio  
 magno gemitu & contentis clamoribus vocife-  
 rari, lacrymisque ubertim manantibus singulos  
 circumstantium intueri: ah, inquit, ubi catena  
 mea! quem tantum auri pondus tam subito mihi  
 rapuisse dicam? O furem! o latronem! subve-  
 nite cives, spoliata sum omnibus bonis meis.  
 Sparsa humi jacebant stola incubique nostri, la-  
 cerata erat instita, ambabus manibus capillis in-  
 hærebam, ita ut tumultu orto omnes qui ad-  
 rant nova re attoniti templum omne murmure  
 opplerent. Aderat Custodiarum præfectus, qui  
 clamore plangentis audito cum licioribus advo-  
 lat; is hominem quempiam innocentem facti,  
 sed nescio quæ indicia turbationis alicujus ore  
 præ se ferentem, sublimem abripit, carcerique  
 mandat; neque multum aberat quin fervente  
 tumultu innocens furca suffigeretur. ANT.  
 Satis jam auscultasse videor. LUCR. Puto u-  
 num aut alterum etiam lubenter auditoram.  
 ANT. Et faciam quidem, saltem ut docear, quid  
 F 2 ille

ille tecum egerit, cujus erat aurum. **LuCR.**  
 Relicto templo tortis in modum egregiè plan-  
 gentis manibus, lacrymisque toto vultu ma-  
 nantibus domum me refero. Illic cubiculo me  
 abdo, & ancillæ meæ edico neminem ascendere  
 sinat, ne major mihi dolor fieret eo, quem vix  
 nunc ferre possem. Ibi dum moror, venit â quo  
 catenam habebam, multumque laborans collo-  
 qui mecum frustra diu habebatur. Ad extre-  
 mum cum continuati clamores parum profice-  
 rent, pedibus manibusque ostium cubiculi pul-  
 sare insistit, ejulando & nomine me ciendo: A-  
 peri, inquit, Lucretia, aperi ostium, neque te  
 tantopere de infortunio isto excrucia. Ego  
 velut semisepulta dolore fingebam non atten-  
 dere quæ fierent, sed, ah miserrimam me, dice-  
 bam, infortunatissimam, planeque pessimo in-  
 ter omnes mulieres astro natam, quid faciam,  
 quid me fiet? Volo proximo me monasterio  
 abdere, aut præcipitem puteo dare. Et sur-  
 gens de lecto, in quo accubueram, dico ancillæ,  
 non recluso adhuc ostio: I, curre, præconem ac-  
 cerse, ut quicquid in facultatibus habeo omne  
 hastæ subjiciatur; aderit jam qui catenam bonâ  
 fide mihi mutuam dedit, puto tantum corradî  
 posse, ut optimo viro satisfiat, Ancilla nihil  
 omittebat, quo minus mandato meo parere, &  
 præconem accersere velle videretur; Verùm  
 nobi-



nobilis ille noster amafius hoc audito multo impetuosius pulsare instat, se ipsum hominem illum esse clamans, aperiremus modo. Admissus tandem tam enormibus à me ejulatibus exceptus est, ut supra nihil fieri posset. Miseram me, inqueiebam, penitusque omni spe & consilio exutam! quid vita mihi opus jam est, quæ tantum auri pessum dedi? quod si sine vestibus nuda viciatim mendicare debeam, nolo tamen obolo te mei causa pauperiorem fieri. Hæc tanto ambitu flendi singultandique à me proferebantur, ut putasses perpetuos fontes lacrymarum oculis meis emanare. Ille autem attonito similis digitis gubernantibus vocem, denuò quiescerem neque animum desponderem jubet, parvi damnum istud facere, præ se ferens. Ad extremum res ita decisa & composita est, ut eam noctem mecum cubaret; qua tantum voluptatis ex me habuit, ut nulla deinceps catenæ mentio fieret. ANT. Jam dum tibi confessa sum, existimare me non vidisse astutiores lucro suo mulierem. LUCR. Si molestum non est, alias tibi historias narrare pergam, quarum nunc subit memoria. ANT. Tantæ mihi delectationi fabulæ tuæ sunt, ut poeniteat me noctis quam disrumpendo colloquio nostro imminere video. LUCR. Noris itaque, Soror, cum Pampelonæ modico admodum tempore viverem, accidit ut

specie nostra caperetur vetulus quidam atque  
 raucofus, cuius non minore ego ardore crume-  
 nam peribam, quam ille Veneres meas. Pete-  
 bat ille voluptatis fructus non alia facie, quam  
 edentulus quis crustas panis comesse, totos di-  
 es amplexibus nostris inhærebat, tactusque su-  
 scitare blanditis amissas vires studebat, nullis  
 non medicamentis ad rem facientibus seniles  
 nervos excitare satagebat, neque unquam ta-  
 men omnibus machinis eniti eo poterat, ut desi-  
 deriis languidum annis corpus responderet.  
 Quod si aliquando memoriam pristinarum de-  
 liciarum torpentem excitaverat, illico tamen  
 animum debilitas membrorum deserebat, ut vi-  
 deretur similis lychno, cui flammæ aliquid re-  
 stat, sed quod oleum consumtum sit, dum emi-  
 cat, exspirare igniculus cogitur. Quæ cum  
 observarem quotidie, neque aliud sperare ha-  
 berem, quam impotentia, & impatientia co-  
 actum non longè post hominem ab amore mei de-  
 stitutum, statui, id quod ex re mea erat ante di-  
 scidium expedire. Et quid censes? Convi-  
 vium opiparis reb. instituo; omnes, quarum no-  
 titiam habebam, tota urbe meretrices convoco,  
 ut lautè mecum eo die essent, quod omne ære  
 senecionis nostri gerebatur; eo non contenta  
 peto mutua hominem triginta vasa argentea,  
 quibus ad instruendum epulum opus erat, pati-  
 nas,

nas, cantharos, ciathos; quamquam potius eo-  
 sine id faciebam, ut magnificam me inter mulie-  
 res facerem, & opinionem divitis reportarem,  
 simul ut quod mox audies conficerem. Finito  
 convivio quatuor maximi ponderis mihi sepo-  
 no. Viginti sex domino restitui jubeo; Erat  
 praesto ad noctem senex, ut de more mecum cu-  
 bitaret; cumque famuli, quod mutuo datum  
 erat, domum relaturi essent, animadverso quod  
 deerat, minime quæ restabant recipere vole-  
 bant. Tumultu ego audito profilio, & quid,  
 ajo, molestiarum mihi facitis? Mecastor vestra  
 de causa malam ego coenam hodie cœnaverim;  
 si tantillum quod perditum est argenti te adeo  
 afficit, cape, vende quicquid hic meum vides,  
 ut satisfiat de damno. Hoc dicto cubiculo me  
 alio includo, & solum amatorem cum animo  
 confuso relinquo; Cum ille adeo me commo-  
 tam videret, surgit lecto, meque consectans non  
 destitit mille blanditiis & complexibus ægritu-  
 dinem eximere; res tandem inter nos compo-  
 sita est, juramento se obstringente illo, quod  
 numquam, neque mihi neque cuiquam alteri  
 frustillum unum argenti mutuo deinceps datu-  
 rum diceret. ANT. Dudum dixi astutissimam  
 te mulierem esse. LUCR. In venandis novis  
 amicis sanè perquam dulcis eram; ita ut qui pri-  
 màm me vice compellaret, laudibus in coelum

ferret; cum vero degustasset aliquis, aloem melle inductam nausea suâ experiebatur. Et ita, ut principio ostendebam, enixè mihi displicere mala mulierum facinora, ita medio & finem rerum docebam nihil boni esse quod non fugerem. Namque ut meretricem perditissimam decebat, magnæ mihi delectationi erat, seminare discordias, procurare rixas, amicorum animos disjungere, injurias fictas falsasque dicere & dicendas subjicere; ad duella pugnasque animos incendere, nihil non eorum moliri, quæ pessimis mulieribus consuetudo male agendi subministrat. Magnificè de magnis loqui solebam, ut linguæ petulantia in partes diducerem audientes. Judicio nostro Cæsaris res gestæ suberant; de Turcarum, Asiaticorumque Regum armis, fæderibus, molitionibus, velut rebus notis differebam, de Ferrariensis divitiis, caritate annonæ, magnitudine stellarum, ut quæ rotas currum nostratum non excederet, ut consulta loquebar. Lunam spuriam Solis sororem, & mille talia argumentis probabam. Hinc ad laudes familiæ & avita decora majorum meorum veniebam; ut clari armis Duces, Comites, Procerumque sui ævi primores fuerint, neque ego minori magnificentia educata sim, quàm quæ generosissimos parentes deceret; adeo quidem magnificè, ut non nisi serico textis tapetibus lecti

lecti mei sterni consueverint. His talibusque aliis stultitiis mille bardos adventores ex ore meo suspensos habebam, ut genibus flexis, buccis apertis narrantem velut divinam venerarentur. **ANT.** Nolo ego jam amplius auscultare. **LuCR.** Sine quæso ad finem decurrat recensio. Mulier quæ benè nata est, numquam talibus se jactationibus majorem facere studebit, neque addet nominibus suis titulos à Magnatibus falso sumtos. At meretrices solent vendere se pro filiabus summorum. Hæc Ducis Valentini sobolem mentitur, illa Cardinalem Ascanium parentem jactat, non sine risu videbis alias chartas suis magnificentissimis signis consignare; neque hilum ob hos tam grandes titulos meliores esse student, quippe tam penitus sine Caritate, Pietate & Amore vivunt humano, ut, si qui cælo indigetes descenderent, numquam illis de pane suo quicquam dederint, nisi quatenus vim eorum ultricem metuere habeant. **ANT.** Deus me de talium mulierum peste liberet. **LuCR.** Equidem fateor longè melius esse jactare medio mari res suas, quàm talibus earum quippiam impertiri, qui tantis malis verbis rebusque despectui habent, posteaquam quid abs te acceperint, quantis bonis dictis quod habere cupierunt eblanditæ sunt. Sit una virtus servare fidem. Verum in hoc ipsis

Cacodæmonibus peiores sunt. Maximam partem meretrices mel in ore gerunt, in manu novaculam; videbis duas earum osculari se à pedibus usque infimis ad summum capitis verticem, quæ, ubi mox separatim auditæ fuerint, talia de se loquentur, quolibet auros obturare benè animati homines cogantur. Quæ si in circulis triviisque junctæ constiterint, tum verò operæpretium sit audire, quibus conviciis infamare notos ignotosque moris habeant. Et ut quis pede dextro ad dilapidandum sua domus earum intraverit, is bonis verbis laudibusque principio tollitur, ita exspirabunt omnia ista blanditiarum carmina, quamprimum larga manu profundere destiterit. Evulsis isti pennis, alii potentiori sese applicant, hunc cæteris omnibus cariorem longè habent, nihil poscenti negant, millies singulis horis magnificis titulis Dominum, se mancipia tanti viri appellant. Cum discesserit hic locum daturus alteri, deducunt hominem, sublevant, tantum non adorant, mille delicias lingua illâ virosâ facientes, ut scilicet maturè spoliandus revertatur; vix pedem domo extulerit, ecce jam ad antiquum revertuntur; humeris avertis, turpibus gestibus, digitisque in cornua protensis imminent; dicendo: Illuc in malam rem abeas, scelestissime mortali-um; Sic datur tui similibus. ANT. Eccur hæc

hæc talia tu faciebas? **LU CR.** Quia meretrix  
 non videbitur sibi satis mala, nisi omnes malita-  
 tis numeros impleverit, sitque quasi cum gratia  
 & privilegio, quod ajunt. Cui verò quid ad-  
 summam defuerit, illa habebitur quanti culina-  
 sine coquo, lauta fercula sine vino, lampas sine  
 oleo, casearii institores sine caseo. **ANT.** Se-  
 ponamus ista quæso, & ad facinora tua particu-  
 laria veniamus; quippe inde ego plus volupta-  
 tis capio, quam spectandis in theatro ludis, aut  
 quando histriones saltant Comœdias. **LU CR.**  
 Faciam quod lubet; quando video cupidè te  
 audire, non parcam recensere quæ memoria  
 subjiciet. Advertas, quòd vivente me Nea-  
 poli eò venerit adolescens octo & decem anno-  
 rum, mercator lautare, & genere bono. Primo  
 appulsu in manus is mihi traditus est per eos, qui  
 nihil non explorabant, ut meo commodo pere-  
 grinos retibus meis induerent. Semel cum na-  
 cia nemini occultum esse sinebam, perditam me  
 amore ipsius; quoque ille magis mihi credebat,  
 deliciisque meis frui pertendebat, eò ego magis  
 studebam spoliare imprudentem; Sed ut res  
 melius procederet, utque planè sese mihi cre-  
 deret, non cessabam ancillam meam de die ter-  
 quaterve ad hospitium ejus mittere, nunc ut,  
 quomodo valeret, inviseret, nunc ut invitaret  
 ne contemneret domum meam venire quæ tota  
 ipsius

hæc

ipsius mancupio esset scilicet, & quæ soleret me-  
 cum gaudia carpere. Urbem jam totam rumo-  
 re oppleveram, mori me Amoris ejus, & ipsi  
 vitæ discrimini proximam esse, ita desiderio ejus  
 intabescere. Dicebant vulgo: Vide, quibus  
 modis meretrix ille pereat; vide ut puerum il-  
 lum sectetur, cui os lacte opplebit. Ego ad  
 omnia, quæ mihi deferebant, tacebam, instarq;  
 mansueti hinnuli propositum meum mecum  
 quæta persequebar; illius unius moribus obse-  
 cundans, totiqve populo persuasum cupiens,  
 neque vesci neque dormire desiderio hominis  
 fascinatam posse. De nocte fingebam cum aliis  
 colloqui, narrabamqve pulcerrimos illos illius  
 oculos victores eos esse, qui libertate me mea  
 spoliarent. Audiebat hæc adolescens, quippe  
 qui singulas ferè noctes mihi accubabat, nec  
 enim audebam longius à me recedendi potesta-  
 tem facere, ne aliæ mei census ipsum qui  
 motus esset divitiarum & urbanitatis, venaren-  
 tur. Procedebat sanè bellè negotium, & ju-  
 venis inescatus aliquot bonis cœnis, nonnullisq;  
 aliis ei ætati desiderabilibus obsequiis, gratula-  
 batur de tam fideli amicâ sibi, & omnib. notis  
 amicisqve suis pignus amoris mei ostentabat an-  
 nulū, quæ à me donū habebat, cui indita gemma  
 vix tamen dimidio scutato contra pretiosa erat.  
 Quoties mecum accubuerat, non cessabam di-  
 cta-

dita-



Cutare: Vide sis, anime mi, an pecuniâ tibi etiam  
 opus sit, petas de meo licet quod libuerit; ego  
 ne quid desit, providero; nempe cum omnia  
 nostra tuæ sint potestatis, & merito quidem cum  
 ipsa tibi totam me addixerim. His talibusque  
 blanditiis sibi ereptus, magnificè plateam no-  
 stram perambulabat; jamque adeo in ore erat  
 hominum, ut digitis monstraretur prætereunti-  
 um, qui dicerent: Ecce ut Lucretia Amore ne-  
 potis hujus sui insanit! Accidit ut aliquando  
 ad me viseret Princeps Salernitanus, cum ado-  
 lescens mecum esset; adventu cujus submoveo  
 eum, & in aliud cubiculum secludo. Inter  
 properandum sudariolum homini excidit, quod  
 cum ascendisset Princeps, levabat illico adjici-  
 ens: hocce linteolum vestri erit, puto, amasii,  
 nomine ejus adjecto. Ego vero: & quid cen-  
 ses, agebam? Est vero ipsius quem unicè amo,  
 quem omnibus quæ in universo mundo sunt re-  
 bus præfero, quem Dominum solum habeo,  
 cujus ministerio me addixi, addictaque ero,  
 dum spiritum tenebo. Cogita nunc tu, quàm  
 profundè mihi crediderit, qui loquentem hæc  
 principe coram audiret? Quid aliud ageret,  
 quàm quod fecit? A discessu Principis cubicu-  
 lo evolat, collumque meum expansis brachiis  
 invadens magnificis verbis gratias mihi agit de  
 existimatione, quam de se haberem; neque par-  
 cebat

cebat quin deinceps gradibus magnis inambu-  
 lans & mihi & universæ domui nostræ suo jure  
 imperitare sibi videretur, ut quæ me meaque  
 omnia amoribus suis devovissem. Verum id  
 Imperium diuturnum non fuit. Accidit enim  
 quadam die, ut cupiens gaudio meo frui, non  
 admitteretur; ego autem domum alterius ama-  
 toris mei peterem, quem ipse optimè norat. Ille  
 ut non erat solens taliū fraudum, arrepto pallio  
 indignabundus, verbaque mala effutens plu-  
 rima, unde venerat redit. Mansit integram  
 diem secum, sperans fore ut de more accersere-  
 tur; quod cum secus fieri, ac cogitasset, vide-  
 ret, succensus furore ostium nostrum accedit in-  
 tromitti rogans. Responsum est, Dominam oc-  
 cupatam esse, aliisque nunc hospitibus vacare.  
 Vix hoc audiverat, velut marmore mutatus ob-  
 riguit, osque distorquens pronò in pectus ca-  
 pite, labris lutescentibus, oculis tremantibus,  
 corde subinde subsiliente, genibus succiduis, ve-  
 lut de terra doloris enormitate elevatus, ut po-  
 tuit, abscessit. Ego per angulum fenestræ, quæ  
 fiebant, observans, vidi obvium sibi maximè  
 familiarem non adspicere, sed capite concusso  
 nescio quid murmurantem, præterire. Redit  
 ad noctem, & denuò intromitti poscit. Feci  
 adscenderet; cumque septem vel octo aliis sti-  
 patam invenisset, nullo à me indicio amicitie  
 exce-

exceptus est, non dictum illi est assideret; sed  
 ipse cum, quam parvi fieret, coram videret, li-  
 centia sumta id fecit. Ita composuit se in an-  
 gulum cubiculi, nec quicquam eorum proba-  
 turus quæ audiret aut cerneret. Illic perman-  
 sit, donec vacuo conclavi omnes excessissent.  
 Tum solus solam alloquens: Isti, sunt, inquit,  
 amores illi; istæ sunt blanditiæ illæ, & tantarum  
 rerum tam promptæ oblationes? Respondeo;  
 Nolle debes, frater, nihil jam restare, nisi ut de  
 tua virtute meaque simplicitate Iudi hic Nea-  
 poli inter meretrices in vicis agantur. Quot-  
 quot amatores amicosque habeo, nemo me  
 obolo jam ditiozem reddere curat, singulis di-  
 centibus, te illum esse qui sudoribus ipsorum  
 pingvescas. Quod si cupis, ut erga te in poste-  
 rum ea sim, quam hucusque expertus habuisti,  
 opus erit ut unam rem effectam des. Hoc ille  
 audito subleuat vultum, nec enim hactenus me  
 adspicere ausus fuerat, promittitque quicquid  
 virium opisque suæ sit, promptissimo animo pro  
 me omne facturum. Opus est, mihi, inquam,  
 lecto campestri, quam serico piloso consternere,  
 & velare ut decet cupio: ea res, ut numeris mo-  
 disque suis expediatur, promptis usus est centum  
 & nonaginta aureis, ut ratio jam nobis ducta est.  
 Et ut amici mei videant, non me tibi, sed te mihi,  
 donando non deesse, necesse erit tantum auri  
 mihi

ambu-  
 jure  
 aqve  
 um id  
 enim  
 non  
 ama-  
 t. Ille  
 pallio  
 s plu-  
 gram  
 erfere-  
 vide-  
 edit in-  
 am oc-  
 vacare.  
 us ob-  
 us ca-  
 ntibus,  
 uis, ve-  
 ut po-  
 æ, quæ  
 maxime  
 ncusso  
 Redit  
 Feci  
 liis sti-  
 micitizæ  
 exce-

mihi dependas; quod si non habes, mutuo sumas pignore dato, aut Chirographo, aut fœnori alicunde sumas. Quod si venerit solutioni præstituta dies, fac me curare finas; quos enim dixi, amatores amicique nostri pro rata viritum contributuri sunt; quos eo in me animo esse novi, ut decem potius aurei superfuturi sint summæ, quàm unus aliquis defuturus. Quod mihi responsum dedit sine ulla deliberatione hoc fuit; impossibile sibi esse hoc expedire, quippe patrem omnibus Neapoli mercatoribus danistisque significasse, nihil argenti ipsa crederent, nisi omne perditum vellent. Audita hac responsione obverto homini humeros, & ut illico domo mea excedat impero. Imperium ille fecit. Elapsi duo dies erant, cum quæsitum mitto, adest accersitus; tum, rem ego ut expediri possit, inquam, emeditata sum. Compellabis mercatorem Aguirram nomine, is tantum auri tibi accepto Chirographo numerabit; ut amicitia nostra perpetuari possit. Lætus ille adit Aguirram; sed responsum tulit, non nisi pignore dato summam se petitam præstiturum, & ut pignus alterum tantum pretii habeat, quàm quod mutuum cuperet. Redit, narrat quid responsum fuerit. Videns hoc modo rem mihi ex sententiâ non procedere, ad aliû mercatorẽ, intimum meum hominem ablego; & ille tibi, ajo

tantum

tantum pretiosarum rerum dabit, ut Aguirra, quantum poscit, pignori dare possis. Accepit hoc pacto & pignus & nummos, quos ad duos menses creditor illico ad me detulit. ANT. Et quid isthic astutiarum latet? LUCR. Et pignori datae res, & pecuniae ipsae, meae erant, pignusque ab Aguirra illico mihi restituebatur; ego vero quod volui sic effeci. Elapsis quindecim diebus accerso mercatorem, & Chirographum, inquit, istius adolescentis cape, & Gubernatorem adi: dic hominem esse exterum, neque his locis sedem quaerentem, quodque suspectum eum multis de causis de fuga habeas, iubeat proinde sedes urbe nostra figat, aut tibi potestatem det incarcerandi. Mercator consilium meum sequens, gubernatorem adit, impetrat incarcerationem; ita miser comprehenditur, abducitur, detinetur, donec magno cum foenore soluta res fuit, quippe non solent caupones credito cibum dare. ANT. Plus quam integrae duae horae sunt cum tibi ausculto, nec puto toto mundo stultiorem me mulierem reperiri posse. LUCR. Bacchanalia paullo post Romae erant, quo tempore obvolutis faciebus tam equestri quam pedestri ludicro civitas vacare solet, vicatimque decurrere; ubi si quis amasiam habet, comtam eleganter, eqvo imponere perque plateas deducere solet, quo in genere nulli

G

LUCR.

sumtui ad Ornatum epulasque parcere, magnificentiæ habetur. Multi equi, plurimæ vestes iis spectaculis frequentandis perdi solent. Neque ego ulli rei parcebam, quin plurimas perdere gloriæ ducerem. Principium de uno ex amicis meis feci, qui plus voluntatis quam potestatis habebat, ad profundendum. Pauci à festo Trium Regum dies erant, quando fervere ludi incipiunt. Amator meus, qui totus fumus esset, videns me, quales solent, qui sine dicto intelligi tamen volunt, assidentem: Et vobis, inquit, anime mi, non est, unde ludis istis conspici possitis? Respondi: Non nata sum ego ad huiusmodi voluptates, sed ad servandam domum; namque tenuis reclusa nostra bene nos istis sumtuosis diludiis arcet; quod superat, nec unde me vestiam habeo. Ibi ille: Abhinc octo diebus cupio exornemus nos quam poterit artificiosissime. Tacebam ego paululum, mox amplexando hominem: Et quomodo, inquam, corculum meum, putabis nos pulcerrime ornatos prodire posse? Equo infidebis, ait ille, perquam splendide vestita. Namque ego habiturus sum equum generosissimum & præcelestem Cardinalis Medicæi, quem ut verum fatear jam à stabuli præfecto promissum teneo. Respondi: Libenti animo me accipere; sed pati nullo modo, ut res tam diu protrahatur, orare enim,

enixè, sequenti die instruerer. Quodque primo loco ab eo peterem, esse, ut de femoralibus mihi virilibus prospiceretur; utque minore impensa res constaret, usuram me holoserico ipsius sago, quo amictus modo esset, femoraliaque ipsa quam minimo pretio conficeret; insuper peto, alicui ex amicis suis eam provinciam det, ut equum meum pedes sequatur, ne, si forte excuterer, deesset qui reponeret. Cum hæc dixissem, visus est præferre vultum indignantis, & si liceret, recusaturi, præsertim cum iudicaret; fiat uti vis, velut pœnitentia ductus eorum, quæ mihi promississet, fastuque me sibi noxio induisset. Quapropter ipsi dico: Videris mihi illibenter hæc expedire, & omittas sanè, neque nos magnopere molestia afficies. Hæc elocuta ostium cubiculi arripio, ut eo me includam; sed advolans ille detinet indignantem, & tam parvam fiduciam nostri habes? inquit. Mox famulum abeat jubet, & vestitui necessaria adferat. Accersat simul sartorem, qui femoralia holoserico consuat. Pannum jam dum domi habebam, itaque ut sartor venit trib. horis femoralia perfecta sunt, cum nosset jam ante modum corporis nostri. Aderat illi præsens cum adferrentur, inducentemque adjuvabat, dicens: Quasi natæ vobiscum essent, tam benè hæc corpori vestro conveniunt. Ita habitu virili induta;

duta ; nosti, inquam, anime mi, qui de reliquo vestitu prospexit, illi incumbere & de calceis, velimque ut & ipsi sint Holoferici; nec sufficiebat contra importunitatem meam dicere, nummos non adesse; cogebatur annulum aureum digito detractum pignori mittere, ut, quantum opus erat, holoferici pararetur; redeuntem famulum illico ad sutorem mittit, qui cum ipse modum quoque pedis nostri sciret, horâ unâ vertente pro lubitu calceata sum. Indusio quoque hominis, pulchrè auro ex bombyce elaborato, vestita eram. Jam quod capiti ornando esset, adhuc deerat. Itaque sine petita facti licentiâ, pileum holofericum capiti hominis extento brachio deripio, & : hic, inquit nobis serviturus etiam est, cui ego de auro & gemmis ornamenta isthic quæsi vero. Ad extremum ille tepida mente arcam recludit, aliumque sibi veterem promit, qui jamdudum famuli usibus destinatus erat. His actis noctis principium aderat, quiqve tum illum vidisset, custodem mihi additum dixisset, qui ne carcere me emolirer ubiqve stiparet; nam & ascendentem per scalas & descendentem fixis vestigiis presse confectabatur, neque pedem pede uspiam demovebat. Horâ noctis decimâ misi hominem comparatum cristam albam, quæ pileum nostrum exornaret. Ea allata denuo excurrere

necesse



necesse habebat, ut larva vultui tegendo para-  
 retur, & ea cum non esset satis venusta, altera  
 quoque vice expuli, meliorem comparatum.  
 Cumque currendo & properando penè confe-  
 ctus esset, deerant adhuc ligulae vestibus subli-  
 gandis, quas quin & ipsas, ut erat fessus & semi-  
 mortuus, apportaret, facere non poterat. ANT.  
 Videbatur mihi, te uno mandato ista omnia ex-  
 pedire potuisse. LUCR. Poteram, sed nole-  
 bam. ANT. Et cur? LUCR. Ut viderer  
 Domina jubendo re, ut erā nomine. AN. Videca-  
 mus cætera. Noctem nē tecum illam fuit, quæ  
 hoc festum sequebatur? LUCR. Maximo la-  
 bore & mille suppliciis pacisci mecum potuit, ut  
 amplexu uno dignaretur. Dicente me: Cra-  
 stina nocte nobis viginti alios dabis, ubi decem  
 non satis videbuntur. Post aurora surgente,  
 jubeo excitetur, ut procuret pastum eqvo, ne  
 ubi uti eo vellem in morā esset, neque incomtus  
 aut inornatus ad nos produceretur. Relicto  
 lecto proripit se homo, utque domo excessit,  
 obvium stabularium blandis verbis compellat:  
 Domine, inqviens, venio ut eqvum mihi pro-  
 missum ducam. Fastuosus ille ne verbum qui-  
 dem respondit. Tum noster: Eris ergo tu in  
 causā, ut cogar quam amicissimam habeo mu-  
 lierem mendaci promisso perdere. Respondit  
 Stabularius: Nolim quidem hercle, sed Reve-

rendissimus meus Dominus plurimi facit illum equum, quique sciat mores meretricum, quæ nullam rem tangere, quam non disperdant, possint modò, consuetudinem habent; nolit magno illum detrimenti quid capere, alioquin res meo maximo incommodo cadet. Verùm ille tam longis importunisque precibus hominem fatigabat, ut ad extremum diceret: Sit sanè, non possum quin quod petis fiat, jubetq; deinde servulum, faciat equus usui ejus paratus sit. Sed videbatur inter stabularium & servulum de alio aliquo convenisse. ANT. Sceleratissimi sunt illi servi, & plerumque dominos suos pro inimicis habent. LUCR. Non est quod de hoc dubites. Facto prandii tempore, cum junctim comederemus, vix quatuor buccellas hominem deglutire sino, quin dicerem: Fac edat ista famulus, ut equum post accersat. Mittitur ille, sed sine equo redit. Causam rogatus; servum stabularii nolle illum dare, respondit, quod Dominus ipsius velit prius cum ipso colloqui. Vix dixerat, cum patinâ arreptâ caput hominis Amator noster petit, iratus scilicet, quod palam præsentem me, neque potius in aurem, quod jussum erat, nunciasset. Cùm ego hæc viderem: Sanè perbellè, inquam, egregii isti nobiscum ludi luduntur. Tu scilicet ille eras, qui nos tam bellè exornare, & tam luculentâ

lentâ

lentâ pompâ urbi commendare posses. Præscie-  
 bam ego omnia ista hunc finem adeptura. Ve-  
 rùm hac postrema mihi vice illuseris, satis stul-  
 ta fui credendo tibi, & mendaciis tuis me sub-  
 mittendo. Sed eo me consolor, quòd maxima  
 ignominia penes te erit, qui quod tanto ambi-  
 tu pollicitus es, præstare non possis. His dictis  
 obverto tergum homini, qui, ne dubites, in-  
 quit, domina, omnino præsto tibi equus erit.  
 Cum dicto arrepto pallio domum Cardinalis  
 inivit, inibi osculatis manibus omnium servitio-  
 rum; vix summo labore comperiri potuit, ubi  
 Stabularius esset, ad extremum tantum quæ-  
 sendo impetravit, ut Equus ipsi traderetur.  
 Ego quæ ad fenestram omnes rumores sonitus-  
 que captabam, ad singulos Equum illum exspe-  
 ctatissimum adesse sperans, conspicio tandem  
 servulum totum sudore fluentem, pallioque ab  
 humero rejecto cursu penè concidentem, qui  
 nunciatum præmitteretur jamdum adesse,  
 quod cuperem. Ad extremum hujus verbum  
 venit qui freno equum duceret, indignans qui-  
 dem & nullas non diras evomens; tanti erant  
 saltus, tanta ferocia quâ omnium in se oculos  
 convertebat equus. Viso eo ego ad fenestram  
 quieta maneo. ANT. Et quare, soror? LUCR.  
 Ut omnes qui præterirent, scirent, me eam esse,  
 cujus pompæ tanti pretii equus duceretur.

Gaudebam mille gaudia, cum viderem innumeros de vicis pueros concurrere dicentes: Et ubi degit illa tam insignis domina, quæ equestres nobis ludos dabit? Quadrantem post horæ totus fessus langvidusque advenit amator noster, dicendo: Ad talia negotia opus est mitti homines dextros, & assuetos rebus non vulgaribus expediendis. Alii sex septem equi hujusdem census apud Cardinalem ad mandatum meum præsto sunt. His rebus gestis applico me ipsi proximius, spisseque exosculata peto sagum illud, de quo sermo fuerat, quodque mihi promiserat. Cumque id tum secum non haberet, causam finxit, servulum jussu afferre, oblitum esse. Sed cum parum ista excusatio proficeret, feci ut ad amicum aliquem mitteret aliud allatum. Quod cum adesset, ipsemet eo me induit, femoralia insuper adaptavit; cumque ligulæ deessent, eas dedit, quibus se succinxerat. Namque unum solum verbulum ex me profectum sufficiebat spoliando ei omnibus, quæ tenebat, imò & in spebus habebat. Fine ornatui facto, non sanè parvo tempore, mille blanditiis & delinimentis eqvo me imponit; ego ab eo, ipse domi paulum præstolatur. Cum abesse videret, ad amicum quemquam mittit, qui de caballo ipsi gratiam faceret, quo meum iter sequeretur. Quem cum accepisset, cursu me sequitur,

quitur, offenditque in ponte sancti Angeli;  
 Mox prehensam manu ducere suaviter incipit,  
 optassetque presentiam universæ Romæ, ut om-  
 nibus innotesceret de favore, quem ipsi face-  
 rem. Ita junctim equitantes ad tabernam ve-  
 nimus, quæ ovæ aurata fictitia venduntur, in-  
 tus plena aquis fragrantibus; hinc appellato fa-  
 mulo duodecim eorum paria tolli jubet, relicta  
 pignori parva quæpiam catenulâ, quæ more  
 Portugallico collum cinxerat. Ita unum alte-  
 rumque vicum permensi eramus, usque dum  
 obviam factis aliis meretricibus, relinquo pro-  
 fatuo hominem, & medio me earum agmini in-  
 mergo. Utque me in Burgo prope sacrum Pa-  
 latium solam ab illo video, immisissis eqvo frænis  
 tergum obverto, & quàm longissimè ab illo a-  
 volo, neminis obventum morata. Postquam  
 longinquis cursibus satis procul acta fueram,  
 revertor ut hominem reviserem, neque plus de  
 eo sollicitam me monstro, quàm si nunquam an-  
 te hac vidissem. Nocte jam imminente venit  
 mihi obviam, comitata in genti grege æqualium  
 mearum meretricum, pari modo exornatarum;  
 tum permissa ut manu me prehensam duceret,  
 valedico cæteris, qui cantando me stipaverant.  
 Mox larva vultu demta ad ipsum conversa:  
 sanè felix, inquam, mulier, cui te videre con-  
 tingit, tu me egregie scilicet solam reliquisti in-

G §

mediâ

mediâ turbâ, & novi certè quâ de causâ. Excusare se ille additis juramentis, quod, quâ potuerit, semper me sit insecutus, quodque de nulla alia re cogitaverit. Ita altercatis sermonibus, venimus ad quiescendum paululum in campo Floræ. Ibi consistens ad tabernam ubi coenatio larga venderetur, duos bonos capones arripio cum sex septem paribus benè pingvium turdorum, quos trado servulo alterius amatoris mei, qui forte fortuna accursabat, ut domum meam portaret. Is pretium à Comite meo poscere, qui ut satisfaceret, gladium quo cinctus erat pignori relinquere coactus est; verum cum venditor eo contentus non esset, detrahere iussus est anulum quempiam parvulum, quem digito gerebat, monumentum unicuique pridem defunctæ matris suæ, quo illum munerata fuerat cum Romam veniret; quem ille anulum non minori adfectu diligebat, quàm ego ipsum spoliare cupiebam. Cumque nec vinum, nec candelas, nec panem, nec carbones domi haberem unde coena instrueretur, studeremque id exigere, ut ipse omnia solveret, de nullo quicquam gustaret, incepti rixari cum homine, revertens ad querelas ante habitas, rogitansque eccubi ad noctem usque tam suaviter fuisset? Ille ut extingueret litem, providere voluit de eo quod restabat; cumque servum suum

suum appellare vellet, vidit abesse illum, ut e-  
 quus domum Cardinali restitueretur; quæ res  
 ita expedita est, ut jurarit conceptis verbis sta-  
 bularius, nulli se umquam tale quid posthac  
 gratificaturum, ne si Papæ quidem nomine po-  
 sceretur. Ad finem mecum ut cœnaret, mansit.  
 Cum jam in eo esset, ut mensæ accumberemus,  
 audio in vico hominem tussientem, aliaq; signa  
 edentem, ut qui præsentiam suam indicare vel-  
 let, quod ideo fiebat, ut miserum planè despe-  
 rare facerem. Ego fenestra prospiciens cum  
 vocari me, & qui esset, qui vocaret, vidissem,  
 raptim descendo, & cum illo ab eo, solo relicto  
 altero, qui totâ nocte somnum non vidit, neq;  
 aliud quicquam egit quàm magnis passibus per  
 domum incedere, & diris me devovere, mini-  
 tando miris se modis crudelitatem meam ultu-  
 rum. Neq; gustavit totâ nocte quicquam, aut  
 esculenti aut potulenti usq; ad diei initium.  
 Tum desperato reventu meo relinquit vacuam  
 domum, rediitq; postea plus quingentis vicibus  
 ut sagum Holofericum reciperet, quo amicta  
 equitaveram, neq; paucioribus servulus, prius-  
 quam illis id restitueretur. Postremo ex ecclis  
 manicis illud remisi, tam domino quam famulo  
 affirmans, sine illis accepisse. AINT. Per fi-  
 dem grandi humanitate eum tractasti, qui tan-  
 tum tibi boni voluit, quiq; tot te obsequiis  
 prome-

promeritus fuit, ut nulli rei pepercerit. **LuCR.**  
 Hæc humanitas erat meretricia, neq; minor ea,  
 quam exhibui Lusitano cuiquam mercatori, qui  
 de insula Maderâ plurimum sacchari attulerat;  
 qui suavitate Amoris nostri illectus omnem su-  
 am mercem usque ad cistas ipsas ad me detulit.  
 Quam diu amor hujus durabat, in ipsis lactucis  
 condiendis largè saccharo utebar. Et ille gu-  
 stando meum mel comperiebatur saccharum su-  
 um ejus comparatione succum aloes amaritudi-  
 ne vincere. **NOSTI** quid dicam. **ANT.** Benè  
 hominem igitur tractare debebas. **LuCR.** Ita  
 sanè tractavi, ut contortis suprâ caput manibus  
 plorans ejulansque refugeret, non secus atque  
 cæteri. Verùm quæ nunc incidit de Senensi  
 quopiam tibi historiam narrare volo. **ANT.**  
 Neque hic igitur, etiam si voluerit, manus tuas  
 evadere potuit, licet tam bonâ terrâ oriundus?  
**LuCR.** Hic postquam paucis diebus Romæ fu-  
 isset, obambulando portam domus nostræ, si-  
 gna amoris oculorum ictibus mihi monstrabat,  
 neque umquam ancillæ meæ obvius erat, quin  
 de me illam percunctaretur. Si quid ferret,  
 quærebat ex meisnè rebus esset? & aliis mille  
 vicibus eam rogabat: quam amat, aut quid cupit  
 Domina vestra? Respondere ancilla: Est pa-  
 rata ad omnia, quæ jubere ipsam velis. Ac-  
 cidit, ut ociosè aliquando spaciantem per vi-  
 cum



cum conspicata sim, eadem signa quæ consue-  
 verat vultu facientem. Appello illico ancil-  
 lam, & properè fac, inquam, Senensis ille vecti-  
 gal aliquod platearium nobis solvat, qui tam sæ-  
 pe filices nostros terit. Illa, ut iussa erat, eve-  
 stigio descendit, & semiapertâ portâ medio cor-  
 pore in vicum prono prospicit. Adest conti-  
 nuo Senensis noster, eamque allocuturus; qui  
 priusquam ad verba venire posset, muliercula  
 gravi admodum voce secum hæc murmurat:  
 Priusquam huc venias, sceleste, velim crura  
 diffringas, numquam te mali Dii huc reducent,  
 ut puto, ita me mora tua affligis, & contabefa-  
 cis. Senensis his auditis propior accedit; &  
 quid hoc querelæ est; inquit? Domine, inquit  
 illa, sum parata ad vestra obsequia. Respon-  
 dit ille: Scias velim, servavissima mea, multum  
 me quærere amicitiam Dominae tuæ, cui sum  
 cupioque esse mancipio deditus. Illa, supra  
 modum astuta & talib. adsveta, fingens, non  
 audisse quid dictum foret; contabefio inquit  
 mora, quippe quæ plus quatuor horas hic sto  
 præstolans servulum Dominae nostræ, qui missus  
 est aureum nummum minore moneta mutare, ut  
 detur munusculum famulo Archiepiscopi de  
 Rosano, qui dono Dominae nostræ pannum seri-  
 cum attulit. cumque nec ille redeat, nec hic  
 manere velit, non puto ærumnosiores mulie-  
 res

rem me reperiri posse. ANT. Talis ancilla  
 suffecerit ad ditandam Dominam suam: sed quid  
 factum exinde est, discupio enim audire? LUCR.  
 Stolidus ille cupiens haberi liberalis, manu cru-  
 mera inserta dicit ancillæ: Scito, soror, quod  
 supra modum amem Heram tuam; extractisqve  
 quatuor aureis, illos ipsius dextræ inserit. Et  
 magnificentum exinde se faciens: Verumnè, ait,  
 est, Dominam tuam nostri notitiam habere? An-  
 cilla ne verbo quidem uno reddito, neque re-  
 vocata à quoquam, claudit ostium, illumque  
 solum in platea relinquit instar hominis, qui re-  
 pulsus fuerit ad festa nuptialia invocatus veni-  
 ens. ANT. Certè illi solutum pulchrè est, quod  
 debebatur: LUCR. Linqvamus istas minutias,  
 & jam de Cercopithecis aliquid loqvamur.  
 ANT. Et quid de catis? LUCR. Debebam  
 viginti aureos linteario; neq; magis animi ha-  
 bens illi eos solvere, quàm nunc pluit Jupiter,  
 exegitavi quo pacto rem efficerem. Habe-  
 bam duos Cercopithecus formosissimos; cum  
 fortè ad fenestram de more starem, video veni-  
 entem quem dixi creditorem, nummos poscitu-  
 rum; Appello ancillam, & da mihi, inquam,  
 alterum de simiolis istis, tu altrinsecus tene alte-  
 rum, cumq; adscendet institor, fingam perem-  
 tum velle quem teneo; tu satage, ut videri que-  
 as servatum velle. Vix verba finieram, cum  
 subit

subit scalas lintearius. ANT. Non pulsata pri-  
 us porta? LUCR. Non erat opus; nam aper-  
 tam eam invenerat. Cumq; jam prope esset,  
 tantus clamor erat ut major fieri non posset, oc-  
 cide, occide furem, clamabam, nolo vivat di-  
 utius, qui tantum damni nostræ culinæ facit.  
 Ancilla plorando, & singultando respondet:  
 condona ipsis hoc modò delictum heras; ego pro  
 vade ero, fidemqve meam interponam, nihil  
 amplius comesturos, quod ipsis appositum non  
 fuerit. Ego fingebam ira insaniam, & suffo-  
 care eum simulabam, qui in manibus mihi erat;  
 interim grandes illi colaphos impingens, voci-  
 ferando; non erit deinceps, ut tu deglutias  
 quod nobis parabitur. Creditor, speciosissima  
 animantia in tali periculo videns, miserebatur;  
 condolensqve pro grandi gratia ea à me poscit.  
 Ei respondi: Insignis certè res sit vitam illis do-  
 nare, qui mortem tam benè meriti fuerint. In-  
 stare ille dicens: Domina ad quindecim mihi  
 eos dies trade, his elapsis reportabuntur isthuc;  
 tum tibi adsistam, ut eò pejus pereant, si cupies  
 tunc quoq; ut moriantur. His verbis eripit  
 animal manu, utiq; non magnopere repugnan-  
 tis, etiamsi paulum resistendo ægrè me rem fer-  
 re simularem; eripit mox & alterum ancillæ,  
 amboqve famulo tradit, quem secum habebat;  
 sacco ille ab ancilla commodato intrusa domum  
 aufert.

aufert. Aderam ego, cumq̄ auferrentur; fac,  
 inquam, elapsis dictis quindecim diebus simiæ  
 ad me meæ reportentur; omnino enim volo ut  
 moriantur; Ille promisso, quod petebam, ob-  
 litus pecuniæ abit domum, relicto pignori mille  
 juramentis redituros ad me, quos tantopere  
 morti tradere cuperem. Decem dies erant cum  
 redit ad exigendum, quod debebatur: tum pe-  
 cuniâ in sacculo inclusâ ostensâ, homini dico  
 velle me solvere, quod posceret, modò prius  
 simiæ mihi meæ restituerentur, quas supra o-  
 mnes res alias domi habere vellem. Quas, in-  
 quit ille, simias; illico ubi ad me venerunt, ut  
 solutæ sunt per tegulas, aliorsum evasere, neque  
 ego illas postea vidi. Ego, quæ scirem verum  
 esse quod diceret, levo me de sellâ, qua conse-  
 deram, similisq̄ furore percitæ, gestu rabioso  
 inclamo: Fac simiæ meæ potestati restituantur,  
 si nolis ut pluris tibi consent, quàm viginti his  
 vilibus aureis. Promisi ego illas missuram hinc  
 in Barbariam, omnino volo restituantur mihi,  
 quodcunq̄ acturus aut omissurus es, quietura  
 non sum nisi restituas, quos ea fide abstulisti.  
 Percussus ille, ut pectore in fenestram prono  
 constiterat, videt ad clamores meos totam vici-  
 niam plateas opplesse; sine ullo verbo reddito  
 per scalas se proripit, & properè domum recur-  
 rit, Abeuntem ego vocibus gravissimis prose-  
 quor:

quor: si non redibunt, quas posco, tu & solves  
 & resolves pro iis quod cupivero. ANT. Cu-  
 pio quid tibi dicere, quod nunc sese offert.  
 LUCR. Dicas licet. ANT. Dico quod astu-  
 tia hæc, quam simis invenisti, talis sit, ut merito  
 tibi omnes condonare debeant quicquid um-  
 quam malum in vita fecisti. LUCR. Istuc tu cre-  
 das? ANT. Tam certo benè, quam quod scio  
 data occasione posituram te animam tuam con-  
 tra unam amygdalam. LUCR. Non magno-  
 pere de eo sollicita sum. Verùm cum & sint  
 alia, quæ dicere tibi cupiam, plurima, & volu-  
 ptas sit non minima ea recensere, vector tamen  
 ulterius prodire insigni & acutissimo capitis do-  
 lore, qui omnem potestatem porro loqvendi  
 mihi eximit; Præcipuè ut detinere homines con-  
 sveverim duas tresve horas docens, ut mane fe-  
 sti S. Joannis Sol saliendo coelum ascendat,  
 quodq; calamus S. Marci sublimis in aëre pen-  
 deat, non secus atq; de tibia Mahometis narra-  
 tur. Verùm, ut dixi, tanti me dolores urgent,  
 ut vix sermonem incipere audeam. ANT. Fa-  
 cit hoc non dolor tuus, sed mea audientis inve-  
 nustas atq; inscitia, ne digna sim audire res tam  
 voluptabiles. LUCR. Soror Antonia, quæ so-  
 tribus verbis sententiam mihi tuam aperias, ut  
 pollicita es, quamvis per summum malum, quo ca-  
 pite confictor, non potero tibi, quod restat,

H

enar-

enarrare, ut ducere atque decipere eos consueverim miris dulcibusque modis; ut, velut plurimum ipsa perdidissem, fingere potuerim condolare me ipsorum vices, neque pati posse, ut pecunias suas in convivia, ludos, aut vestitus erogarent, nedum alias turpiores profusiones. Idque ea causâ agebam, ut aurum semper cupiditati meæ præstò servaretur. Sed obstat mihi acumen mali, ut nec illud tibi narrare possim, ut pretiosissimi papilionis nomine quatuor homines carceri mandari effecerim; primum eum qui mihi oppigneraverit, deinde cui soluta sit pecunia, postremo duos qui adfuerint. **ANT.** Fac te fortem, & obfiste tantum dolori, ut hoc unum etiam ex te audire possim. Ita tibi id obveniat, quod summo voto inter omnia mundi istius potiri cupis. **LucR.** Accidit ut Antonio Stabuli summi Pontificis præfecto furto pretiosissimus papilio subtraheretur: Nullo modo sustinere possim, ut reliquum quod est, enarrem, cum medium penè caput dolores perditum dirumpant, Oportet sustineamus usque alium diem, ubi obviam nobis erimus, cum alterâ historiâ, de Episcopo quem noctu corio expanso projectari feci in tegulas. Verum ah, nullum jam verbum addere possim. **ANT.** Maledictus sit malus ille Genius, qui dolorem illum tibi attulit, saltem ut colloquium hoc nostrum interrumpere. **Luc.**  
Ne

Ne detineas te in expediendâ me responso tuo  
 ad id quod poposci. Vides quàm ego omnâ  
 eo fine & ordine recensuerim, ut quid de singu-  
 lis facinoribus nostris videatur, scire possem.  
 ANT. Igitur ad promissum quod redis, posciscq;  
 ut de singulis quæ narraſti quid sentiam, ex-  
 promam, respondeo, me istud facere non posse.  
 LUCR. Et cur quæſo istuc? ANT. Quippe  
 una in re sola id faciam. Nempe quia nos mu-  
 lieres sapientes sumus ad improvise oblata, in-  
 iis quæ cogitatione opus habent, nihil utiq; va-  
 lemus. Ergo ad finem quid mihi videatur  
 promam, ut solent eæ quæ parum omnino no-  
 verunt; Tu quod dictura sum, ex illo Ro-  
 sas colligas, spinas ut sunt relinqvas. LUCR.  
 Dic igitur. ANT. Dico quod summâ attentio-  
 ne iis rebus auscultaverim, quæ â te relatæ sunt.  
 Multis do fidem ex illis; alias ut credam, induci  
 non possim. LUCR. Quamobrem? ANT.  
 Quia sæpenumero ut splendidior fiat oratio, ir-  
 repunt veritati simplici arguta mendacia. LUC.  
 Ut confiteris, habeor tibi pro mendace. ANT.  
 Non mendace, verum in aliquibus pro oblivio-  
 sâ & non satis cogitatè loquente, & concludo  
 affirmando tibi, necesse te habere manere ma-  
 lam, & mala cupere monialibus & matronis;  
 Neq; ita sis sine ratione. quippe ego tibi spon-  
 deo in duobus istis vitæ statibus haberi mille.

malas affectiones. Neque culpâ libero meretrices. LUCR. Non potero tibi respondere, namque miserè nimis metuo, ne dolor iste, qui caput meum findit, exeat in catarrhum aliquem, proinde finem istic fac, & me dimitte. ANT. Mihi videtur, si filia tibi est aliqua, cum primum nido evolabit, artibus eam tuis instruas; namque si monialibus illam addere volueris, franget sanctam professionem. Si maritabis, proculcabit rumpetque sacram matrimonii fidem. Cum fuerit meretrix, neque de matrimonio neque de monasterio sollicita erit; verum instar militis vivet, cui pecunia datur ut malè faciat, id quod faciendo non videtur sibi facere, quippe vendit hoc in tabernâ suâ, citra quod vendibile nihil habet. Prima quaque die qua caupo tabernam aperit; ponitque tabulam ad alluciosos hospites, præcogitet necesse est in domo sua bibituros, comesturos, pergræcaturus, lusuros, decepturos, pejeraturos, mentituros, rixaturos, digladiaturos, narraturos novas res, quæ nec accidere possunt, neque ab ipsis credibiles habentur. Et ille qui talem domum intrabit, ut epuletur, aut mendacia recitet, non inveniet in illis neque altaria neque jejunationes. Ita certe est hortulanos delectari visendis suis hortis, Equites equis, falconibus,



bus, armisque, nautas navibus, Mercatores mercibus & lucro; malas mulieres expolienda, facie, extirpandis fronte pilis, candidandis manibus, similibusque aliis studiis. Ita caupones deceptionibus, rixis, tumultibus, convitiis, furtis, latrociniis, odiis, crudelitatibus, mortibus, malis morbis, proditionibus, malis rumoribus, paupertate. Verum Confessor his est omnibus instar medici, qui non tam facile sanat malum, quod in visceribus grassatur, quam quod manu explorare potest; illud neque videt, neque quale sit divinando adsequi potest. Propter hæc rape filiam tuam, & iis rebus eam institue, de quibus consilium tibi dedi. Omne malum delebit una bona poenitentia. Nam ut & ex sermone tuo intellexi, in malis mulieribus vitia sunt loco virtutum. Et præter hæc admodum felix vita est, in qua semper audies: Domina, semper vivas in festis, epulis, tripudiis, choreis, Ludis, nuptiis, navibus, hortis, nocturnis gaudiis, ut de te ipsa narraſti, & melius me noſti, in lucris & divitiarum augmentis quotidianis, modo quæ suis rebus rectè præesse possit, & in loco rem blanditiis, svaviis, amplexibus; mille denique gaudiis gerere norit. **LU CR.** Mecaſtor maximè bene locuta es. **ANT.** Itaque bene tibi consulo. **LU CR.** Nolim ut in universum hiſce sit finita nostra collocutio, potius velim

eodem hoc loco cras conveniamus denuò;  
 quippe cupio, si tibi non displicuerit, ut & tu  
 mihi partem tuorum gestorum recenseas; non  
 enim infelix genius in ætate manus tibi confre-  
 gisse putandus est, ut nihil relatu dignum tot bo-  
 nis annis effeceris. ANT. Quod ad prius o-  
 ptatissimum mihi eveniet, & cras & singulis nos  
 postea diebus convenire collocutum; quippe  
 nullæ dies satisficient desiderio meo, quod &  
 hæctenus semper habui & teneo etiamnum, vi-  
 denditui & sermonibus mutuis fruendi, præci-  
 pue si pergere velis in venustis tuis & suavissi-  
 mis narrationibus. LUCR. Mearum rerum  
 sufficere tibi debet quod narratum est, quam-  
 quam non animata eram tam citò finem sermoni  
 dare, si nigerrimus ille dolor me non impedisset;  
 qui quidem me affilit quotidie, non secus atq;  
 si octoginta annos nata forem. Dicunt enim,  
 quando ad id ætatis deveniunt, habitacula esse  
 malarum infirmitatum mulieres. ANT. Ne te  
 ipsam decipias, Lucretia, soror; præterlapsum  
 enim jam dum est tempus istud. Hoc enim re-  
 rum statu ob delicta nostra mulier viginti anno-  
 rum jam vetula atq; projecticia est. LUCR.  
 Amplius ego quam viginti quatuor habeo, &  
 malè mala peream, si pro vetula me existimo;  
 potius id cogito, nisi vita me destituerit, quo-  
 modo

modo eo tempore quod restat, denuo in mundum dem saltum aliquem. ANT. Habuisti tu fortunam ubique faventem, ideoque non miror, neque veto quin tu facias quod cupis, verum miserrimam illam cui contra venti spiraverint. Sed quod mutari non potest, patienter feram, ut solent aliae, quarum & tu & ego partem bonam novimus, qui de quindecim usque annis formosissimas arbores assimilant, pulcras foris, colore vivo inductas, laetoque statu floridas, intus vero non tot habet ullum alveare apiculas, quot illae morbis & ulceribus putidae sunt. Quod si fidem non das verbis, me vide; quid defit, quae so, praeter paullum modum carnis, quin amore se meo irretiat quicumque videat? intus vero sum qualem deus movit, neque tu ignoras. Sed haec suo sint loco; quod porro poposcisti, ut cras eodem loco conveniamus, ut & de meis fatis tibi aliquid edifferam, me quidem volente id fiet. Hac nocte repetam memoriam rerum mearum, tam ut quod cupies obtineas, quam ut quam brevissimè propositum exsequar. LUCR. Vide singula benè ut consideres, neque aliter res cadat. ANT. Non cadet certè. LUCR. Namque omnibus modis & tuas res gestas audire cupio, ne ridear abste, cum tuorum nihil norim, mea au-

tem tam largè aperuerim. ANT. Ut popo-  
scisti, ita expedita res erit. LUCR. Igitur iu-  
debo consiliis tuis parere, neque quicquam  
inde mutare. Hoc dicto surgentes  
finem colloquio dedere.

F I N I S.




po-  
tu-  
ma

**DIREPTIO EX-**  
**PUGNATÆ URBIS RO-**  
**MÆ AB EXERCITU CA-**  
**ROLI QVINTI.**

**COMPENDIO RECEN-**  
**SITA, LICET FUSIUS VIX US-**  
*quam reperiatur.*

**ANNO M. D. XXVII.**  
**SEXTO DIE MAII.**

**HISTORIA NON INANIS MIRA-**  
**culorum Dei.**



H



...





# HISTORIA DI- REPTIONIS URBIS ROMÆ.

**A** NNO M. D. XXVII. summa pe-  
nuria rerum necessariorum, tam  
quoad administrationem belli,  
quam victus & stipendiorum pro-  
curationem, Cæsaris Caroli Quin-  
ti Exercitum Bononia cedere coegit, & iter  
versus Romam instituere. Quo in itinere co-  
piæ parum aut nihil comæatus habuere, ut,  
quam ad Placentiam egestatem famemque per-  
pessæ fuerant, ne comparari quidem cum ista  
indigentia posset; quæ causa exercitum rapido  
agmine Urbem petere adiecit, ubi vi aut bonis  
verbis remedium malorum inventurum miles  
sperabat. Hoc studio Monasterium Sancti O-  
nosii prope mœnia Urbis appulere, ubi ali-  
quot dierum fame siti que confecti, non nihil  
vini offendere, reficiendis viribus oppidò op-  
portunè. Eo loci inter medios hostes positi pe-  
riculis undique imminentibus patebant. **A**  
fronte

fronte Pontificis legiones cum Urfinorum co-  
 piis, totaque Romana potentia infesta omnia  
 faciebant. A tergo magnis itineribus seqve-  
 batur cum reliquo Pontificis exercitu Dux Ur-  
 bini, sanè robur ipsum nervusque Papalis po-  
 tentiæ; quippe ex copiæ amplius triginta milli-  
 bus facere dicebantur, collectæ ex veteranis  
 Gallis, Venetis, Italisque. Præterea omnes  
 circum Principes Civitatesque hostili in Cæsa-  
 rem animo erant, solis Senis exceptis, quæ civi-  
 tas Imperatoris majestatem, quantum in se erat,  
 egregie servabat. Princeps Borbonius Cæsarei  
 exercitus summus Dux bis feciali misso in Ur-  
 bem nomine Caroli, primum petiit apertis por-  
 tis Imperatorium militem per urbem aliorum  
 iter facere sinerent, quæque commeatui opus fu-  
 tura essent, argento commodo soluto, imperti-  
 rentur; id quod contemptui habitum, sannisque  
 insuper irrisum negatumque fuit. Secunda  
 dehinc postulatio Borbonii fuit, Urbem Impe-  
 ratori ejusque militi nulla conditione pateface-  
 rent, aut quæ expugnationem mala secutura  
 essent, obstinationi ipsorum propriæ accepta  
 ferrent. Ad hoc Rencius Pontificii præsidii  
 Præfectus, fecialem muro abscedere jussit neq;  
 unquam redire, aut suspendio vecordiam man-  
 datorum luiturum. Ea responsione recepta  
 inclytus Dux Cæsareæ militiæ convocatis ex-  
 exercitus



exercitus primoribus, signiferis, quique auctori-  
 tatem longis stipendiis habebant, consilium ini-  
 it, quid facto opus foret deliberans. A  
 fronte, à tergo, circumque undique hostibus  
 incincti impeditique erant, imminebant ingen-  
 tes Urbini Principis copiarum, quæ vel solæ delen-  
 dis ipsis satis erant, nec longè jam aberant aliæ  
 etiam vicinarum Civitatum. Conclufum eo  
 confilio est suburbium, quod Burgam Novam  
 vocant, summo manè sequentis diei quoquo  
 modo fieri posset injectis scalis penetrandum.  
 Parati ad id equites, ne calcaribus quidem posi-  
 tis, summa alacritate peditem sequebantur.  
 Deerant idonea murorum demolitioni tormen-  
 ta, & suburbio expugnato, intra quod commu-  
 nire se posse sperabant, facilius commeatum: &  
 pecuniam à Pontifice obtenturi erant. Neque  
 ad audaciam augendam parum faciebat diffidi-  
 um intra moenia Italorum & Germanorum præ-  
 fidiariorum, quod ipsis incognitum non erat.  
 Capiendum certè ex re ipsa consilium, militem,  
 hoste fameque pressum, mirificè inflammabat.  
 Res non promptius conclusa quam audacius feli-  
 ciusque patrata est. Nebula, Sole oriente,  
 densior altero manè insurrexerat, quæ commo-  
 dè incurrentem militem tegebat. Veles pri-  
 mum nullo tumultu injectis muro scalis eos te-  
 nuit; sequuta mox gravis armatura uno impetu  
 moeni-

moenibus transcensis, Armamentarium Pontificis occupavit, ubi ingens copia muralium manualiumq; tormentorum inventa, hostem armis spoliavit, incurrentiq; militi subsidio fuit. Levis Germanorum armatura portam S. Spiritus pari successu expugnavit, quam sequutum robur exercitus ante medium diem Palatium Papale, totumqve suburbium, tenuit. Cæsa eo incursu quinque amplius Italorum præsidiariorum millia, stipendio Pontificis merentia. Cæsareo exercitu trecenti, ferè omnes Hispani, desiderati sunt; inter quos fortissimus Princeps dux ipse Borbonius, dum scalam animando militi promptius inscendit, globo manualis tormenti trajectus occubuit. Ita suburbium totum brevissimi temporis spatio direptum est, paucis captivitati servatis, cum furens periculo & successu exercitus nemini parceret. Pontifex ipse, tam inopinatam rerum alteratione perculsus, cum omnibus suis stipatoribus, Cardinalibus, Episcopis, aliisque magnatibus, cognatis partim suis, Castrum sancti Angeli præpete fuga petiit. Eam fugam supra pontem S. Angeli plurimi de plebe, viri, fæminæ, pueriqve, Equitum, Militum, civiumq; concursu elisi extinctiq; imminentem urbi direptionem fato prævenere. Proinde metu consternatus populus, unde vel quorsum fugiendum foret, non poterat perspicere; pars

manus

manus infestas hostium dum vitare studet, in-  
 currit. Summa; maxima pars palanrium à duo-  
 bus Hispanorum signis, quæ ad id destinata mi-  
 seros seqvebantur, interemta atque deleta est.  
 De Castello nulliictus tormentorum audiebantur,  
 licet oppido omnis generis machinis instru-  
 ctum esset, cum præcipiti Romanorum fugâ ho-  
 stes ab civibus urbanoque populo discerni  
 minimè possent. Cum jam ergo Romani, qui  
 tali periculo tam propè esse minimè credere  
 potuerant, Pontificiis pollicitationibus alia  
 omnia persvadentibus, extrema rerum per-  
 pessi, in resistendo nullam spem haberent, vi-  
 ctore pro lubitu per omnes angulos grassan-  
 te; Albertum Marchionem Brandeburgensem  
 summis precibus eò tandem commovere, ut, ve-  
 lut Germanici sanguinis Princeps, & ob hoc  
 exercitu gratior, furentem militem alloqueretur,  
 & ad inducias pacemque hortaretur. Fa-  
 cturos quæ placuissent Romanos, quæque  
 possibile sint omnia, modo de reliquo direptio-  
 nibus cædibusque abstineretur. Non defuit  
 Albertus petitioni, ut qui tot miserorum homi-  
 num infantiumque sanguini interitum bonis ver-  
 bis amoveri posse crederet, quin ad exercitus  
 Cæsarei præfectos de accipienda ingenti pecu-  
 niæ summâ, & sancendis aliquot dierum indu-  
 ciis verba faceret. Verùm furibundus miles

vix principi ipsi pepercit, quin futuras cædes ipsius sanguine auspicaretur, ut ægrè elapsus ad mortem poscentibus, omnia bona, quæ in urbe tum habebat, diripienda reliquerit. Quin & postea captus Germani cujusdam tribuni versutiâ Hispanorum manib. subductus est, alioquin certo certius periturus. Recente adhuc furore in aliam quoque urbis partem per Pontem sancti Pancratii victores irruerunt; servatis ordinibus omnia obvia ferro flammisque prosterentes, spoliis, cædibus, direptionibus, captionibus, omnia latè vastantes. Quos captos habebant, quemque secundum censum censebant; neque ulla spes effugii erat, donec à quoque exacta auri summa coram deponeretur. Totâ Româ supra ætatem trium annorum nullus mortalium inventus est, qui non pro capite suo certam pecuniæ summam dependere coactus fuerit. Nonnullis accidit ter censi, aliis tertio amplius quam solvere poterant, quibus non credebatur illico gladius transacti vitam pretio mutabant. Pauci elapsi turbis sunt. Viginti amplius millia facultatibus exactione perditis, Urbe, in exilium, solo corpore non spoliati, excessere; ut fide digni homines, sopito tumultu, rationem postea iniverunt. Nemini omnino hominum poena ista pepercit. Non Hospitali ipsi, sive Nosocomio  
 Germa-

Germanorum. Adeo furor militaris omnia pervagabatur. Eodem deinceps die per pontem Sixtinum, summo fortunæ favore, ipsum caput Urbis irrupere. Id vi statim occupatum, exemplo suburbiorum & ipsum tractavere. Aliquot Cardinales, Episcopi, Mercatores prædivites, Monachi, Vestalesque capti, occisi, censiti, spoliati: Virgines sacræ stupris corruptæ. Libri magnarum opum Rationes, reditus, expensasque continentes, discissi, disjectique numquam post usui dominis suis fuere. Bullæ Papales, Chartæ sigillis Pontificiis munitæ, vetera magnatum Privilegia, conscissa, pedibus proculcata, dentibus etiam disrupta sunt. Ingens malum miles mercatoribus & fæneratoribus dedit, Syngraphis Chirographisque pessumdatis, quibus maxima pecuniæ summa credita debitaque continebatur. Nec ulla res major auri vis periisse tum putanda est; stabulæ Equorum, Asinorum, mularumque Papalibus bullis, literisque magnatum, Negotiatorumque opplebantur, ne quis stramentorum inqvirendorum labor esset. Tempia etiam Sanctorum, Petri, Pauli, Laurentii, &c. omnibus parietum & Secretariorum, sacellorumque & altarium ornamentis nudata & spoliata sunt. Reliquiæ omnes, si quæ auro argentoque aptæ erant, detracto metallo, sparsæ humi concylcataeque;

I

Infu;

Infulæ, Calices, immo quicquid auro argento-  
 ve inductum indutumve erat, raptum, profliga-  
 tum, perditumque est. Adeo ut tota urbe nul-  
 lus calix ulli templo superfuerit, unde divinæ  
 res procurarentur. In ipso sancti Petri fano,  
 ad gradus altaris, & in ipsis penetralibus sacræ  
 ædis supra bis centum homines trucidati sunt;  
 inter quos spiculatorum non pauci Helvetii, ex  
 iis qui corporis custodes Pontifici semper ad-  
 sunt. Direptio tantæ tamque opulentæ urbis  
 quatuordecimque integros dies Hispano & Ger-  
 mano militi satis fuit, cæsis, spoliatis, direptis  
 omnibus unde spes lucri affulgebat. Inerant  
 civitati non pauci milites, qui animo semper in  
 Cæsarem propenso fuerant, neque unquam  
 Pontificis partibus contra ipsum favere volue-  
 rant; verum his fides servata nullo emolumento  
 fuit, cum contra victor clamaret; quid ita non  
 muros accesserint, immittendis urbi focus, si  
 constanti in Imperatorem fide fuerint? His tot  
 ærumnarum exantlatio nequaquam contra sæ-  
 vitiam prædatorum profuit. Neque sexus,  
 natio, aut dignitas ulla jam reperiebatur, quin  
 mulieres, viri Græci, Judæi, Barbari, Princi-  
 pes, Cardinales, Episcopi, Laici, Clericique  
 eodem omnes pondere æstimarentur. Genus  
 tormenti apud Italos increbuit, quod ipsis bar-  
 baro vocabulo *Strapaecorda* vocatur; hoc affici,  
 dum

dum vitæ parceretur, tum beneficiū erat; tamen  
 usu compertum est, plures negatam pecuniæ  
 summam eo cruciatu coactos pendisse. Non  
 nullos, qui quod exigebatur tergiversando  
 exire moliti essent, milites testibus fune colliga-  
 tis sublimes ab ipsis suspendere. Novi crucia-  
 tus, nova suppliciorum genera inveniebantur,  
 ut rapinis prædisque dudum concepta ex fame  
 & penuria rerum necessariarum rabies apud vi-  
 ctorem militem sedaretur. Uti semper inexpectata  
 post enormem egestatem abundantia fero-  
 ces efferosque reddit mortalium animos, ut  
 vindictæ cupidi etiam innocentibus immineant.  
 Inter Hispanos fuere, qui, (ut gens ea belluinæ  
 libidinis est, neque ullis legibus tenetur, quoti-  
 es licentia explendæ voluptati non deest.) pu-  
 ellas nondum puberes, neque decimo ætatis  
 anno completo, ad stuprum rapuere, tamque  
 horrendis modis hinc inde divulsas tractare,  
 ut major earum pars spiritum fœdissimæ hostium  
 libidini contradiderit. Ea res Germanorum,  
 nonnullis in exercitu potentibus nunciata, ita  
 eos commovit, ut immania facinora manu ul-  
 ti sint, interfectis qui pessimo exemplo discipli-  
 nam militarem temeraverant. Episcoporum  
 Procerumque Ecclesiasticorum aliqui, cum  
 præscriptum auri pondus non extemplo pende-  
 rent, instar furum cruciariorumque, manibus

post tergum revinctis, manipulatim per exerci-  
tum, post vicatim per urbem, traducti sunt, ut  
spectaculo cæteris essent, ne quod victores exi-  
gebant, quisquam persolvere detrectaret. Plu-  
rimas sacrarum virginum, ut quæque formâ &  
familiâ conspicuæ erant, Hispani abductas con-  
cubinatu servaverunt; Nonnulli Romanorum  
post vitiatum corpus filias ab iis suas redemerunt,  
vel & redimere coacti sunt, pretio XX. LXX.  
vel plurium aureorum, ex placito eorum quorum  
voluntas imperium erat. Inter hos reperti sunt,  
qui pretium redimendorum liberorum, cum  
exactionibus militum depauperati prorsus fo-  
rent, per exercitum commendaverunt. In  
eo rerum statu Roma XV. dies sine magistratu,  
Ordine, Justitiâ, Imperio, disciplinaque fuit,  
prout potens erat, quoque jus manu sibi facien-  
te; nihilque libidini avaritiæque suæ neganti-  
tibus, qui, cum semper magnâ victus angustia  
fuissent, tum ex voto, licet ferè præter spem,  
prædivitum hominum facultatibus imperabant.  
Civium multa millia, corpore solo salvo, cum  
redemptis ex incestu, adulterio, stuproque con-  
jugiis liberisque nihil superesset unde vive-  
rent, Anconam, Venetias, Neapolim, in exsili-  
um abiêre. Urbe adeo vastatâ atque diruta, ut  
agrè integram vel unam aliquam domum inve-  
nisses;



niffes; nec species tantæ majestatis restabat, quantâ ante paucissimos dies terrarum Orbis Imperii fundatricem conservatricemque etiamnum testabatur. Cardinalium nonnulli capti, domibus direptis luxuriæ diu congesta instrumenta palam fædari videre. Cardinalis Sena Palatio suo extractus magno auri pondere vitam redimere compulsus est. Ipsæ ædes vetustibus dolabrisque effractæ, portæ combustæ, thesauri ingentes elati, rapinæ furentibus, ut quæq; manus militum confidentior intraverat. Hispanorum globus Cardinalis Ponceti insignes & celebres divitias diripuit, auro argentoque servato, pretiosis vasis, supellectili, lectis, pulvinaribus, & quicquid hujus census erat per vicos dispersis, quæ, meliorum cupidine & abundantia, avaritia militis contemnebat. Duo alii purpurati Patres Ara Cæli, qui ordinis S. Francisci fuerat, Cardinalisque Minerva, Domini quondam monachus, censiti, exacto auro persoluto, dimissi sunt, nec cognitum est, nisi per paucis, quo pretio captivitatem redemerint. Domini Maximi summæ inter Romanos nobilitatis viri duo filii, major annorum sex & viginti, veteri profapia suâ digno obitu parentem antevertere; irrumpentibus enim latronibus senemque vinculis constricturis obvii ambo eousque dimicando obstitere, donec uterque con-



fossus morte ad patrem aditum patefecit. In-  
 signis hinc astutia Hispanorum fuit; exploratori-  
 bus enim præmissis diutissimas quasque domos  
 potentiorum civium cognitatas habebant, quas  
 postea velut forte fortunâ oblatas, dum in acie  
 stans Germanus miles hostem operitur, ipsi pri-  
 mi diripere, spoliisque præsignibus aliorum  
 periculo potiti sunt, dominos ædium in dictâ ca-  
 pitibus pecuniâ multavere, sine damno postea  
 futuros ipsorum defensione tutos, dejerantes.  
 At Germanorum manipuli fortiores, ubi res ab  
 aliquot diebus cognita fuit, furentes deceptio-  
 ne, globatim Hispanorum domicilia irruperunt,  
 quodque illi dolo præceperant, isti vi rapuere,  
 non sine cædibus mutuis, Victoria tamen Ger-  
 manorum partibus favente. Nec fando legen-  
 dovè perceptum est, mille retro annis, exerci-  
 tum aliquem tot pretiosis spoliis ditatum fuisse,  
 nec ullis tanti temporis historiis compertū tan-  
 tillas copias tot prædivitum Principū Civiumque  
 fortunis direptis adeo locupletē prædam fecisse.  
 Quæ celeberrima Annalibus veterum expugna-  
 tio Hierosolymorum fuit, eam ne minimâ qui-  
 dem parte cum istâ direptione comparari posse,  
 Romanorum foeminae filiaque arbitratae sunt.  
 Earum nulli ferè quovis genere libidinum &  
 crudelitatum parcebatur. In oculis maritorum  
 dile-

dilectissimæ conjuges ab Hispanorum lixis con-  
 stupratæ sunt, clamantibus utrisque tolerabilio-  
 rem vel crudelissimam mortis speciem esse, sed  
 furore hostico parum animum advertente. Fi-  
 liæ neptesque Magnatum Procerumque, sum-  
 mis familiis toro destinatæ, spem conjugii sobo-  
 lisque nobilissimis juvenibus debitam, incesto  
 concubitu spurcorum prædonum perdidere.  
 Neque tam immania facinora humano more  
 perpetrabantur, divulsæ disruptæque impube-  
 res puellæ execrabili exitu florem ætatis po-  
 suerunt. Ut in his acrior & fædior Hispanorum  
 furor fuit; Ita Germanorum in vexandis Sacer-  
 dotibus magis improbus. Nihil ludibriorum,  
 plebs militaris omittebat, quin sacrificis omniq;  
 Clero vicatim prodiens, & gesticulando cere-  
 monias templis solemnes exprimens, ægre, pro-  
 ut poterat, faceret. Præcipuè duo urbis loca  
 iis ludis velut destinata erant, area templi Pe-  
 trini, & Campus Floræ, quib, singulis diebus  
 insultabatur, molestè ferentibus Hispanis tan-  
 tam, ut putabant, impietatem: neque semel res  
 ad manus venit; cædibusq; ludis tam frequen-  
 tibus plerumque litabatur. Gemmas aliaque  
 cimelia tam vilia copia ipsa fecerat, ut quæ X.  
 viginti que aureis parata non fuerant, uno di-  
 midiove venalia haberentur. Vici omnes op-  
 pleti pretiosi operis & materiæ utensilibus, quæ

magni olim constiterant, pedibus præeuntium  
 supposuerunt. Intexta auro tapetia, lecti bom-  
 byce texti, vestes argento ductæ, lino pretio-  
 sissimo facta umbracula, & mille luxuriæ instru-  
 menta cœno lutoque oppleta, passim proculca-  
 bantur. Cada vera occisorum, quorum supra  
 decem millia numerata sunt, paucis tamen è Cæ-  
 sariano milite inventis, quatuor aut quinque die-  
 bus sepulcris caruere; tandem constipata & a-  
 cervatim congesta obruta potius humo, quàm  
 sepulta foetidissimo foetore omnia turpaverunt.  
 Unde post orta pestilentia crudelitatem Victo-  
 ris cæsorum hostium tabo ultra est. Sacrarum  
 ædium thesauris a deo privilegium nullum erat,  
 ut effosso B. Petri Conditorio aurum in eo quæ-  
 situm perhibeatur. Crucis species, quæ ejus-  
 dem Apostoli aureæ portæ affixa erat, detracta  
 est; nihil sanctitatem tot seculorum habens non  
 violatum & profanatum. Decem diebus inter  
 hæc elapsis urbem appulit Dux Venetæ legio-  
 nis Alexander de Vitela, Imperatori stipendia  
 facere cupiens. Is cum mille peditum equi-  
 tumque agmine in fidem Cæsaris præstito sacra-  
 mento receptus est. Plurimi alii hujus exem-  
 plo idem ambibant, sed nemini eo pervenire  
 consensum est, licet undique magnis manipulis  
 milites convolarent. Alexandro custodia  
 corporis Cardinalis Columnæ commissa est.

Tace-

Taceri non debet, quod nonnulli Germanorum militum globi, ludibrio circumfessi in arce Pontificis, facinus exhibuerunt. Ii mulabus equisque catervatim insidentes cum omnem urbem spectaculo ridicularum gesticulationum, opprobrio sacerdotum fictarum, attraxissent, propè castrum S. Angeli tandem constitere. Tum unus inter eos vultus majestate & corporis proceritate paullum cæteris conspectior, induto habitu Pontificali, Corona triplici capiti imposita, infulis stolisque pretiosissimis involutus, pompa Papali, eqvo se generosissimo collocari fecit. Aderant non pauci magnatum Cardinaliumque vestimentis exornati, pars Episcopalibus mitris, pars cocco, albisque tunicis pro se quisque sacerdotum Proceres exprimens: neque non satellites hinc inde equitantem circumcursabant, tympanis tibisque undique perstreperantibus; Planè ut summi Pontificis agmen, ipsum stipans proequitantem, videre dixisses. Cum Castellum, vel & aliam aliquam domum, accessissent, qua Procerum captivorum aliquis obsidebatur, porrectis digitis benedicebat populum. Ubi lassus equitandi fuerat, sella parata humeris satellitum imponebatur, nonnunquam grandi poculo correpto, Captivo Pontifici propinabat, saluti ipsius & perpetuæ custodiæ. Secuti fictitium Papam omnes Cardinalium,

lium, Episcoporumque Chori, instar fidorum, filiorum, patris hautum exceperere; simul iuramento se agmenque omne devincientes præeunte verba Præfule; nulli se umquam templo ædificando affuturos, Cæsari tamquam legitimo soli que ipsorum Principi, obtemperaturos, fidemque servaturos; nullis umquam dolis insidusve Romanum Imperium, quod nunc esset, infestaturos. Verum quod ex præscripto Apostoli Pauli ipsis conveniret, obedientiam Magistratibus, instar Christi, Petri, & omnium fere Christianorum, cum ipsius vitæ periculo firmam conservaturos. Quod contra Pontifices Romani cum omni Cardinalium suorum choro semper senserint, Excommunicatis Reipublicæ Christianæ necessariis Imperatoribus non alia de causa quam quod horribili & inaudito ipsorum fastui regia capita submittere detrectarent. Hinc orta innumerabilia mala adeo Divinam iram in genus mortalium exacerbasse, ut nulla non ætas, dum Papæ rerum potiti sint, civilibus, parricidalibus, sacrilegisque bellis fas fere omne piumque tradiderit. Jam respexisse miseros à tanto tempore Deum, ultriciaque ipsorum arma sedi omnium scelerum intulisse, ut videre tandem possint, quid meriti sint qui Religionem voluptatibus suis constrinxerint. Esse nimirum penes Cæsarem

virtu-

virtutem animosque vindicandorum majorum  
 præcessorumque suorum, quorum capitibus sce-  
 leratos pedes Pontifices imposuerint. Se qui-  
 dem (ea proclamatio militaris Papæ tum fuit)  
 ut antea juramento sanxerit, Imperatori fidum  
 obedientemque, dum vita suppetat, futurum;  
 Ab obitu verò suo jus omne Pontificiæ dignita-  
 tis testamento, ( consentientibus quos penes  
 ejus negotii cardo verteretur, ) Martino Lu-  
 thero transcripturum; ut is pro lubitu & usu  
 publico Sedi Apostolicæ tot vitia, jam præsu-  
 lum libidine, & annorum serie contracta, ex-  
 stirparet, novisque velis, rudentibus, remis, &  
 magistris navem Petri instrueret; quæ palaret  
 modo velut ludibrio ventorum & æquoris ex-  
 posita, insens regiminis incuriosisque, qui ad  
 clavum sedentes noctu diuque pergræarentur,  
 parum de tempestate solliciti. Addidit his  
 magna voce: Cui ea res placeret, quique ar-  
 bitrium suum in ea exsequenda secuturus esset,  
 manu sublata clarum consensui signum daret.  
 Compositi ad id milites toto agmine manibus  
 porrectis vociferati sunt: *Viva Luthero Papa!*  
*Vivat Lutherus Pontifex!* Ea omnia in oculis  
 Clementis Septimi gesta, quo vultu excepta ab  
 ipso universoque Comitatu fuerint, in facili est  
 conjectari. Nullo momento ab interitu securi  
 esse poterant, qui neque spem vitæ ullam habe-  
 bant,

bant, cum victorem tanto jam tempore omnia vastantem, ipsisque insuper insultantem, audire & videre cogebantur, neque ratio componendæ Pacis erat; tantâ obstinatione furor militaris inarserat. Fuit inter Germanos Veteranus nomine Grunvaldi celebris virtute, sed & mire procax; nulli non facinori exsequendo habilis habebatur. Hic clara voce prope mœnia Castellii jactitavit; paratum se membratim discerpti Pontificis viscerum partem deglutire, modò ut certus interemti nuncius Luthero venire posset, cum tot jam annis Verbum Dei Papæ obfuscarint, quantumque in ipsis fuit, pro tegmine injustæ injuriosæque potentæ, contra piorum omnium sententiam, habuerint. Cætera quæ petulantia inaudita furibundus miles Pontificiis auribus occinuit, tam varia, partim foeda & dira dictu sunt, ut melius omnino silentio præterantur; cum alioquin etiam exemplis acutenda gens ea non sit, per se suosque mores inveniendis patrandisque injuriis satis superque ingeniosa. Vetustissimam ædiculam Palatii, in quâ solemnî more plurimis retro Pontificibus sacra peracta fuerant, stabulo equino asinarioque lixæ commutavere. Bullæ Papales, indulgentiarum testimonia, Rescripta Antistitum straminis loco jumentis cubilia præbuerunt. Ingentium Regiorumque redituum & thesau-

rorum



rorum instrumenta irrecuperabili damno instar  
putris fœni consumta sunt. Principem Borbo-  
nium Ducem exercitus Imperatorii, fato in  
expugnatione suburbii functum in S. Sixti sa-  
crario, quo Pontifices cum omnibus Cardinali-  
bus suis magnâ pompâ sacra facere soliti, contu-  
mulaverunt; ense Principali, de more familia-  
rum talium, brachio supposito. Ne scilicet  
etiam post discessum exercitus, qui tanto cum  
honore affecerat, Pontifici deesset quod me-  
moriam perpefforum malorum redintegraret.  
Octavo die ab expugnatione cum spoliis omnia  
etiamnum ferverent, qui Cæsarearum partium,  
semper fuerat, metuque Clementis Urbe exces-  
serat, in eam rediit mille circiter equitibus pe-  
ditibusque stipatus, Cardinalis Columnesius,  
plerisque Papalium partium affectis extremè  
exosus, Imperatori vero ejusque ducibus acce-  
ptissimus Princeps. Visu dignissimum id agmen  
fuit, insigniter ornatum, & quod armis, equis,  
militumque egregia specie animum potentiam-  
que Cardinalis benè commendaret. Is foedissi-  
mo rerum statu conspecto, cum â tantillis copiis  
tam munitam instructamque urbem in id loci re-  
ductam videret, ut prudentissimus quisque mul-  
tis ad tantæ rei effectum annis opus fuisse putas-  
set, non potuit quin testaretur; Non Impera-  
toris aut militum ipsius hoc opus esse, sed Deū  
Omniū

Omnipotentis, qui perspicuè aliquando mortali-  
 bus ostendere vellet, parva vi magnarum re-  
 rum expeditiones in suâ manu esse. Annus is,  
 quo hæc gesta sunt, alter ab eo fuit, quo, licet,  
 non direpta adeo, occupata tamen Roma fuit à  
 minori etiam exercitu. Cum enim Cæsaris co-  
 piæ Neapoli decederent, Vice-Rex ejus regni  
 & Hugo de Moncada, Hispanorum ductor, iti-  
 nera omnia versus urbem tam arcte explorato-  
 ribus & militum cohortibus insedere, ut de ad-  
 ventu ipsorum minimo minus Pontifex rescisce-  
 re potuerit. In eo exercitu quatuor non am-  
 plius millia peditum, & mille levis armaturæ e-  
 quites fuisse perhibentur. Si nullo rumore ad  
 urbem delato, subito in portis apparuere, qua-  
 rum quamque ducentorum equitum turmâ in-  
 sessam, tutam ubi fecissent; rapido agmine me-  
 diam urbem invaserunt. Ad Colanam tertiam  
 amplius horam dimicavere, donec repulsis præ-  
 sidiariis Palatium Cæsareo nomine occuparunt,  
 ipsumque mox sancti Angeli Castrum, in quod  
 Pontifex confugerat. Palatio vi effracto, ne-  
 minem qui resisteret offendentes, omnia dispo-  
 liarunt, ingenti pecuniæ pretiosarumque rerum  
 summâ in potestatem redactâ. Id quod Ponti-  
 fici nunciatum certum eum fecit, secus atque  
 persuasum habebat, Moncadam nihil non armis  
 tentaturum obtenturumque, Itaque legatis  
 ad

ad eum missis rem eò reduxit, ut Cæsareus dux  
proclamari per urbem iusserit, nemo sibi rebus-  
que suis de cætero metueret; non enim animo  
esse Imperatori quemquam injuriâ afficere, præ-  
ter eos, quibus cum de pace jam ipsius nomine  
transactum esset. Itaque continerent arma, si  
clemente Cæsare uti vellent. Multis ea res  
amissam jam penè securitatem restituit; pruden-  
tiores eventuum alii tam inopinato exemplo non  
credere, sed quæ in urbe habebant exportare.  
Iis sequenti anno metus iste plurimum profuit,  
salvis extra muros conservatis iis, quæ Borbo-  
nianâ expugnatione haud dubio perissent.  
Idem iste Moncada Vice-Rege Neapolitano  
comitatus tum quoque Romam venit, cum jam  
urbs sextumdecimum diem in potestate Borbo-  
nianorum fuisset. Erant in copiis ipsius tria  
milia peditum Germanorum, septem Hispano-  
rum; multaque tormenta; neque adventus ejus  
parum misero rerum omnium statui profuit. E-  
vestigio enim, ut tot malorum finis tandem ali-  
quid esset, licentiaque penitus omnia perdendi  
militi demeretur; Tres nomine Imperatoris ci-  
vitati Rectores dati sunt, quorum suum cuique  
imperandi spacium assignatum, ut cohiberi dua-  
rum, metu peccatura tertia pars posset. Cæsa-  
riarum etiam partium erat præter Columne-  
sum, Cardinalis Encefordius; in ejus domum  
multi

multi Episcoporum, Procerumque & nobilitatis urbanæ omnia sua bona constipaverant. Arbitrati, quoniam nota ipsius in exercitu erga Imperatorem fides erat, tutiore se loco non posse fortunas suas collocare. Verùm spes eos sua prorsus decepit; Hispanorum enim cohortes cum ejus rei notitiam haberent, non destiterunt quin obsessum Cardinalem in potestatem redigerent; qui initio quidem, ut se suasque, quæque penes ipsum essent, facultates rapinæ eximeret, triginta aureorum millia persolvere coactus est. Mox verò cum Germanorum celeberrimi ductoris Fronspergii filius, Melchior nomine, familiaritatis gratiâ domum Principis ingressus esset, eaque res ad Hispanos enunciaretur; veriti, ne quod divitiarum ibi congestum noverant, in Germanorum manus veniret; ipsi prævenire, fructumque laboris præcipere voluerunt. Nocte igitur concubia domum expugnant, arcas, cistasque omnes effringunt, quodcunque ferri aq; poterat aurum argentumque exportant. Immensa pecuniæ pretiosarumque rerum vis tum direpta est; quantam scilicet credibile est tot opulentissimos Præsules civesque in tuto deponere voluisse, cum spoliari suas domus metuerent. Summâ festinatione direptio hæc perpetrata est, in vicinas quasdam ædes raptim opibus congestis, alterâ die vacuis iis reli.

relictis, quæ quod efferri posset, jam non habebant. Neque Cardinali integrum erat eâ de re apud exercitum ducesve conqveri, quin metu mortis mustare & consentire velut damnis suis cogebatur. Postridiè cohors Germanorum Cardinalis custodiæ inani domui immissa est. Jam victualium quæque ad edendi bibendique luxum faciebant, tanta ubique copia adfluebat, ut omnibus cellis, tabernis, culinisque magnatum patentibus, potius qui pararent & mensis epulas inferrent, deessent; quàm qui parta & præposita consumerent. Stans ad signa in formidinem hostium miles undique comportatis vini doliis diem potando ducebat; domûs post stationem ingressus noctem pergræcando jungebat: neque erat quod quis metueret, vel de quâ re sollicitus esset, nisi quo pacto immensam vim auri argentique, quam prædatus fuerat, servaret, aut tandem urbe relictâ, secum asportare posset. Tantæ tamque immani Urbis quondam Orbis dominæ vastationi & direptioni sua prodigia non defuere. Vivebat tum etiam Romæ fatui quidam capitis homuncio, Senis oriundus, extremâ paupertate, Joannes Baptista nomine, adeo indigens ut semitectus, inferiori corporis parte vili panno circumvolutâ, per vicos sæpe incederet. Is, nemine ejus coepta curante, Jovis die Paschati proximo,

K

quem

quem viridem vulgò appellant, Anni  
 M. D. XXVII. quo ipso hæc gesta sunt; cum  
 Sacramento sollemni Domini memoria recole-  
 retur, magnaque ceremoniarum pompâ Bulla  
 quæ Coenæ Domini dicitur, populo prælegere-  
 tur, in Templo Petri magnæ se ejus Apostoli  
 statuæ imposuit; Ibi cum paulum consedisset,  
 magno clamore Pontificem, Cardinales, Epi-  
 scopos, universamq; Curiam Romanam allocu-  
 tus est: Verterent dudum aliena ad Deum pe-  
 Æora; luxu, libidine, avaritiâ desisterent. Quæ  
 mala omnes & pro se quisque animo haberent,  
 eo ejicerent, tempus ipsum retrocedendi  
 arcto limite contineri: Imminere Vindicem  
 sceleribus Deum, qui pati jam non possit ampli-  
 us tam immanium facinorum tam diuturnam  
 continuationem. Quod si contemtori, adje-  
 cit, hos meos monitus estis, neque illico parituri;  
 scire vos volo pro certo, brevi urbem hanc  
 evertendam, hostiumque potestati tradendam,  
 in consilio Dei Omnipotentis conclusum esse.  
 Tu verò, qui Pontificem Vicariumque Dei te  
 consalutari jubes, neque Pontifex neque Vi-  
 carius Dei es: Tu ne, loco pulso Christo, po-  
 tentiam tibi vindicare impune audeas? Immi-  
 net commoti vobis Numinis ira; desistite male-  
 ficiis, quodq; rectum justumque esse non igno-  
 ratis, id sequimini. His pluribusque in hanc  
 senten-

sententiam aliis homo, quem pro fatuo omnes contemserant, quasi pro Concione universum Senatū Romani Antistitii increpavit. Neque quisquam præcipuè magnatum, erat, qui illius ullam rationem habendam censeret; quoque risu rem sequente; & fatuorum privilegia esse, ut quæ vellent impune loquerentur, dictitante. Ea opinio sanè misero alioquin homini præsidio fuit; cum fortasse, si secus fuissent, supplicium vel carcerem non effugisset. Cum in ipso templo ad ipsum talia de eo verba deferrentur, illico, nequaquã in his se fatuū esse proclamavit, sed mandatum Dei exsequi, cui si parere nolent, periculo ipsorum rem gererent, sese quæ certò ventura sciret, prænunciasse. Sequenti mox Paschatis die cum ingenti pompâ sacra solemniter ritu peracta forent, denuò velut subsellium suum inscendit; majoreque quam antehac vocis contentione eadem aliaque insuper verba declamavit: Desistite, ait, Superbiã malisque moribus vestris, denuò moniti; quod si neglexeritis, prædico, universã urbe pium impiūque eadem pœna hostium potestati subjiciendos. Addidisse non pauca contumeliosa in Pontificem ejusque natales & stirpem dicitur; quibus à satellitibus auditis, cum templo exire vellet, comprehensus, fustibus pugnisque cæsus, & in Castrum S. Angeli in carcerem raptus est.

Anni  
cum  
cole-  
ulla  
gere-  
ostoli  
stet,  
Epi-  
locu-  
m pe-  
Quæ  
erent,  
dendi  
licem  
ampli-  
rnam  
adje-  
paritu-  
m hanc  
ndam  
m esse.  
Dei te  
ve Vi-  
to, po-  
Immi-  
e male-  
n igno-  
in hanc  
senten-

est. Inter vapulandum subridens nequaquã il-  
 libenti animo se pro Domino suo ista ferre con-  
 fessus est, quin & majora spontè perpeffurum;  
 sufficere enim conscientiam sibi suam, quã nos-  
 set Dei mandata pronunciaffe. Ductus mox  
 in carcerem; at vos, inquit, non diu me isthic te-  
 nebitis, majoris potentiaë vindex veniet, qui  
 hinc me brevi omnino invitis vobis educet. Ste-  
 tit fides vilissimi homunculi prædictis. Paucis  
 enim post eum diebus, sexto videlicet Maii, Cæ-  
 sareanus miles urbem expugnavit, miserumque  
 carcere liberavit. Exiens custodiã cum omnia  
 alia facie & in pejus versa conspiceret, silentio  
 rem tantam secum admiratus est. Cumque omnia  
 ferri atque agi videret: Boni, inquit, viri; a-  
 gite, rapite, vertite omnia, quippe tempus hoc  
 vobis destinatum est; verùm scitote omnia re-  
 vomituros quæ jam tanto furore deglutitis. Eo  
 audito duo tresve Hispani milites obtorto collo  
 hominem abstrahunt, cædem minitati, nisi quæ  
 deinceps futura essent, ipsis prædiceret; re-  
 spondit, ut timore perculsus; nihil se prædican-  
 dum habere; neque quæ ventura imminerent  
 scire suum esse. Ea de responsione plurimi hinc  
 inde per exercitum sermones nati sunt. Fuit  
 dehinc ad discessionem usque copiarum in exer-  
 citu, & hinc inde commeans cibo potuque à mi-  
 litibus sustentatus est. Prædictiones certè ipsius  
 tam



tam quæ Urbis direptionem, quàm quæ exercitus infortunium tetigere, nequaquam irritæ fuerunt.

De Urbis quidem vastatione hæcenus auditum est: Copiæ verò spoliis & divitiis supra vota onustæ pessimè quoque pleræque interiere; adeo ut miles ne centesimus quidem quisque patriam suam quicquam de eo intulerit, quod tanto pondere ferebat. Orta namque subito pestilentia adeo crebros eos confecit, ut instar culicum muscarumve in publico, perque vicus spoliatæ urbis, aut regionum civitatumque, per quas iter faciendum erat, conciderent. Si cui furor mortiferæ tabis pepercerat, is nullo modo, quod partum habebat, Italiâ efferre quibat. Ingens multitudo ab infidentibus viam, latronibus, eo fine in infidiis latētibus, trucidata est; qui miseri pretium cædium suarum quisque penes se habebant. Quæ res per universam Italiam nota infesta iis omnia faciebat. Qui redire ad suos, veteri suo artificio victum parare coacti sunt, hoc est mendicando per pagos incedere, vilique pane & aquâ de profluente haustâ contenti, divitiarum tristem memoriam, nullum verò fructum, usumve, reportare. Fuerunt non nulli, qui Deo persequenti, hostibusque insidiantibus elapsi, aliam ingentes opes perderunt; Adeo certum est male parata male dila-

bi, fructumque opum ex causa acqvistarum  
 semper pependisse. Ita & hac parte, quod vi-  
 lis ille homuncio prædixerat, secundum verba  
 ipsius cecidit. Qui bellis rapinisque ditescere  
 posse sperant, nesciunt quam viduarum, pupil-  
 lorumque & contenti bellatoribus populi cla-  
 mores, cælum penetrent, quæque pœna horum  
 violatores sequi divinitus soleat, nisi cum, ex-  
 emplis non credentes, damno, detrimento, quin  
 & excidio suo, veritatis regulam contestantur.  
 Durante Castri S. Angeli obsessione Pontifex,  
 qui plurimis tormentis, sed parvo com metu in-  
 structus inibi erat, nihil non moliri, conari, ten-  
 tare, dolo & ex animo, ut inducias aliquot die-  
 rum impetraret; deditioem etiam spondens.  
 Verùm omnibus irritis, tandem bona fide Vi-  
 atoribus se tradere coactus est, istis potissimum  
 conditionibus; quarum series ita brevissimè  
 contrahi potuit. Quoniam Fortunâ adversâ,  
 vel justâ potius irâ Dei, eò res redactæ essent,  
 ut Pontifex Romanus Clemens Septimus, ditio-  
 ne Urbis Romæ ejectus, in castroque suo S. An-  
 geli à Caroli Quinti Imperatoris copiis obses-  
 sus, ferro fameque ad deditioem compulsus sit;  
 affirmat juramentoque sancit ipse Clemens Pa-  
 pa septimus, se corpus & omnia sua Bona Cæsa-  
 reæ majestati dedere, ut arbitrio suo de ipsis dis-  
 ponere Imperator possit. Speciatim verò ipsius  
 pote-

potestati tradere, quoniam Neapolitanum regnum jam occupasset, Parmam, Placentiam, Modolam, Bononiam, Ostiam, Vozam, Castellanam; Quodque de stipendio veteranis in Exercitu Cæsaris reliquum insolutum sit, hoc de sua pecunia Pontificem numeraturum. Quæ summa sit aureorum CCCC. millium. Ita mutua fide data & accepta Pontifex de Castro S. Angeli decedens, potestati se Cæsareorum Ducum dedit. Idem facere Cardinales, Episcopi, & quicquid Procerum captivum Principem non deseruerat. Qui præsidio arci milites fuerant, ab iis juramentum exactum est, contra Cæsarem numquam merituros. Eorum vicem signa duo, alterum Hispanorum, Germanorum, alterum, custodiæ castri data sunt. Pontifici aulæque ipsius, licet expositis militari petulantia, omnis tamen à ducibus honos habitus est; quorum plerique mira urbanitate, quem captivum habebant, adulati sunt; culpa ab se in militem semota, qui fame penuriaque & stipendiorum mora efferatus, cum à suis quo opus erat nancisci non potuerit, vi extremæ egestati consuluerit, & inde subsidium petierit, ubi summa omnia abundantia esse notum habebat. Quod si omnino sanctissimus Princeps irasci & ductoribus ipsis vellet, videret cæteros ipsius causa omnia quæ possent & facere & facturos esse;

esse; Summum verò malorum auctorem poenas conatuū in ipsis scalis expugnandæ urbi dedisse. Sine cuius imperio si fuisset, res alio omnes ordine procul dubio gestæ forent. Ita tum quisque quod egerat cuique consilio atque opera adfuerat, minimè egisse videri volebat. Dediti Pontificis nuncius illico ad Cæsarem missus est. Pauci inter lapsi dies erant, cum nescio quorum clandestinis in exercitu consiliis destinatum erat liberatum Papam ab inimico milite, clam Urbe aliorsum educere, non quomodo usus & consuetudo poscebat, congregatis copiarum præfectis, sed uno alteroque rem sua auctoritate gerente. Verum forte fortuna de eo negotio Hispanus gregarius inaudiverat, is nulla mora indicium tribuno suo fecit, qui nequamquam cunctandum ratus, impigrè cum cohorte sua, ubi congregatos hujus consilii auctores noverat, irrupit, disiectosque & hinc inde difugientes tanto metu opplevit, ut numquam postea ad exercitum redire ausi fuerint. Poterat emolumento Clementi esse, si urbe tum exire potuisset; verum detecta re miles in dies magis magisque exacerbat & extrema omnia comminatus est. Eoque iracundiæ veniebant copix, ut nullo modo pacari posse perhiberent, nisi stipendia integra ipsis à Pontifice, etiam quæ à decem annis Imperator debebat, solverentur. Plurimum

tum

tum in exercitu fuisse dicuntur, quorum portio mille aureos excefferit, ut infinita hæc pecuniæ copia fuerit; quam nullo modo tamen milites quin poscerent tumultuabundi persuaderi poterant. Diximus antea de Urbinate, qui Pontificis reliquas copias ad Urbem ducebat. Is, successu rerum audito, hæsit aliquandiu, incertus utram fortunam sequeretur, cum & fallere felix posset, & adversa præsentis essent periculi. Tandem cum universo, cui præerat, milite, ad Cæsaris partes concessit, septem millia in armis tum habuit, reliquis dilapsis aut aliorum concedentibus; nam, ut initio quoque dictum est, ad triginta millia sub signis ipsius fuisse, fama erat. In urbe cadavera hominum & jumentorum terra obiter injecta semisepulta manserant. Ea res funestam pestilentia tabem dedit, adeoque præcipitem, ut memoria hominum par lues exstitisse non credatur. Itaque milite jam semoto nemo fere in urbe manere poterat, ita vacua habitatoribus domicilia miserrimam faciem tam opulentæ florentique paullo ante Civitati dabant. Altera hæc strages Romanos premebat, verum non postrema. Sopitis enim morbidæ luis incendiis, tanta annonæ caritas successit, ut multis retro seculis major comperta non fuerit. Quicquid frumenti horreis principalibus sustinebatur pascendæ plebi, fame furibundæ,



bundæ, effusum est; Parvo vero tempore & penuariis omnibus exhaustis, inusitata ciborum genera miseros consolata sunt. Ita fastu ante unum mensem turgida civitas, & cacuminibus cœlum pulsare visa, ad inferos usque paucis diebus dejecta est; neque qui auctores malorum fuerant, tanta præda gavisi sunt; cœlitus pestilentia ærumnis innumeris in extera regione oppressi, fame tandem refundere coacti, quod avaritia inexpleta velut ingurgitaverant. Hæc Consilio Omnipotentis Dei ita gesta sunt, ut posteritas velut in speculo coram videre possit, Providentiam divinam criminorum hominum genus, facinorosis aliis ulcisci & punire solere. Neque tamen ideo malis parcere, quod contra malos ipsi servierint; sed expleto usu, Pœnaque exacta, & iis imminere qui pessimos pessimè tractarunt. Quæ res documento & consolationi nobis esse debet, cum gnari peccatorum contra sancta Dei præcepta, baccharum in supplicia nostra hostem efferum videmus. Non enim & ipse meritas pœnas effugiet, cum non sentiens majori manu se torqveri immisis frænis velut sua virtute nos prosternens nihil omittat, quo pressos plane proterat. Hic ordo divinæ vindictæ ab initio rerum conditarum ad nostra usque tempora per omnia Imperia & regna processit; nec credibile est tam diuturno ævo servatum, hoc

hoc ultimo iri immutatum. Licet securitas mortalium successu rerum immanes animos sumat; hæret tamen male gestorum in penetralibus conscientix perpetuum opprobrium, quod sterili timore florentes prosperæ Fortunæ stimulos comprimat; donec revoluto tempore & maxime felices, testimonio proprio meritum, sequantur interitum.



## LECTORI S.

**M**ONendus es, benevole Lector, Typographum Exemplo ab ipso Auctore alicubi commendato, in hac Editione, qua potuit diligentia instituisse, ideoque pag. 86, l. 2. *raucosus* nobis in vitis expressisse: Ubi tamen *Rancosus*, aut *rancidus* reponendum erat. Quod vel ex Hispanico Xuaresii apparet, ubi p. 102. *rancioso*; & ex Italico Aretini, ubi pag. 177. *rancio* legitur. *Rancus* id sonat Glossographo Cyrillo, pag. 630. Lexici Græcolatini. Si quid præterea mendorum obrepserit fortè, id facile puto animadvertendum tuus Candor haud gravatim ut tollat, oramus.

F I N I S.



SYLLABUS  
OPERUM

à

CASPARE BARTHIO

S. R. I. Equ. scriptorum &  
editorum.

**P** *Anegyricus Laur. Rhodomanno dictus, Carmi-  
ne Epico. Witebergæ. 1608. 4.*

*Manes Heliae Putschii. Hamburgi. 1608. 4.*

*Juvenilia, in quibus Silvarum lib. I. Sermo-  
num liber I. Elegiarum II. Lyricorum I. Epigram-  
mat. I. Jamborum Purorum III. Witeberg. 1607. 8.*

*Epistola de Lingva Latina, à Frid. Taubmanno  
edita cum Manuductione ad Lat. Lingvam Christ. Bec-  
manni. Witteb. 1608. 8. Auctior data in Adversa-  
riis Lib. 50. cap. 9. Etiam à Joh. Mich. Dilberro edi-  
ta in 12.*

*Ceiris Virgilii, cum Commentariolo. Ambergæ,  
1608. 8.*

*Museus, cum Latina Versione & Commentario-  
lo, Ambergæ 1608. 8.*

*In Petronium Racemationes Francofurti 1610.  
& 1621. 8. cum aliorum Notis à Goldasto editis.*

*De Petronio, Dissertatio juvenilis. Scripta 1608.*

*Edita*





Edita à Goldasto, Editioni Petronii Lotichianæ cum  
aliorum Notis & Castigationibus annexa Francof. 1629.

4. Extat & in Adversariis, lib. 49, cap. 11.

Cave Canem, de Vita, Moribus, Rebus Gestis,  
Divinitate Gasp. Scioppii Apostata Satiricon, Auctore  
Tarræo Hebîo, Nobili à Sperga. [ καὶ Ἀνάγρημα  
Gasp. Barthio Berolinæo. ] Hanov. 1612. 12.

Scioppius Excellens. In Laudem ejus & Socio-  
rum pro Josepho Scaligero & omnibus probis, Epi-  
gramm. Libri Tres. ib. 1612, 12. Cui additur Pane-  
gyricus in Monarchiæ Rom. Casaræ Vindices à Me-  
liore Goldasto editos, prius in fol. sed vitiosè satis  
editus.

Gretserus Hippomanes, Carmen Epicum, no-  
mine Christophori Nicii.

Opuscula varia; Ablegminum Libri II. Lean-  
dridos Libri III. Heroum Infelicium Lib. I. Zodiaci  
vitæ Liber Tertius. Theognis Latinus. Fabularum  
Æsopiarum Lib. III. Satirarum Liber I. Cebetis The-  
bani Tabula. Hanov. 1612. 8.

Amabilium Libri IV. Anacreonte Modimperan-  
te decantati. Hanov. 1612. 8.

Claudii Claudiani quæ exstant, cum Animad-  
versionibus. ib. 1612. 8.

Venatici & Bucolici Poëta Latini, Gratius, Ne-  
mesianus, Calpurnius, & Fragmenta Vesprici Spurin-  
næ. Ablegminum Liber III. & IV. Hanov. 1613. 8.

Amphitheatrum Seriorum Jocorū, Libris XXX.  
Epi-

*Epigrammatum constructum, nomine Tarræi Hebr.*  
*ibid. 1613. 8.*

*Amphitheatrum Sapientiæ, Libri X. puris Choliambis scripti. ib. 8.*

*Amphitheatrum Gratiarum, Libris XV. Anacreonte modimperante constitutum, ib. 1613. 8.*

*Imagines Mortis à G. Æmilio ex Gallico versa, de integro integrioribus paullo metris incluse. Cum Psalmo 103. & aliis. Witeberg. 1614. 8.*

*Mauritius, Anagrammatis XXX. virtutes Illustrissimi principis MAURITII NASSOVII Belgici Achillis complexus. fol.*

*Cl. Rutilii Numatiani Galli Itinerarium, sive de Reditu suo lib. II. cum Animadversionibus. Francof. 1623. 8.*

*De Fide Salvifica lib. 2. & de Constantia lib. 2. Carmine Epico. Francof. 1623. 8.*

*Pornodidascalus, seu Colloquium Muliebri Petri Aretini, ex Hispanico Ferd. Xuaresii in Latinum traductum. Addita Expugnatio Urbis Romæ ab Exercitu Caroli V. ex Italico. Ib. 1623. 8. & Cygneæ 1660.*

*Zodiaci Vitæ Christianæ Libri XII. ib. 1623. 8.*

*Epidorpidum ex mero Scazonte, Libri VIII. ibid 1623. 8.*

*Soliloquiorum rerum divinarum Liber I. Ejusdem Anacreon Philosophus. ib. 1623. 8.*

*PhœbadI Aginnensium Gallie Episcopi, contra Arianos Liber, cum Animadv. ib. 1623. 8.*

Galli

Galli Confessoris Christiana Doctrina Compendium, cum Animadv. ib. 1623. 8.

Fabularum Aesopiarum Libri V. Phoenix. Psalmi XVII. Erotopagnion. Satira in Bavium. Alcaeus Latinus. Elegiarum lib IV. Jamborum lib. II. Lyricorum lib. II. ib. 1623. 8.

Adversariorum Commentariorum Libri LX. sive Tomus I. Francof. 1624. fol.

Pornoboscodidascalus Latinus ex Hispanico Ludovico Celestina titulo. Accedunt Dissertatio ad Lectorem, cum Animadvers. Item Leandris, & Musaeus recensiti. Francof. 1624. 8.

Erotodidascalus, sive Nemoralium lib. V. Ad Hispanicum Gasperis Gilli Poli. Hanov. 1625. 8.

Horatii Lutii de Privilegiis Studentium. Et Caroli Girardi de Juris Voluminibus repurgandis Epistola. Francof. 1625. 8.

Deutscher Phoenix. ib. 1626. 4.

Philippi Cominaei Commemorationum Rerum Gestarum dictarumq; Ludov. XI. & Caroli VIII. Regum Franciae Libri VIII. ad Exemplar Gallicum bona fide Latinitati transscripti. ib. 1629. 8.

Claud. Claudiani quae exstant, cum Animadvers. recensitis & longè locupletioribus. Francof. 1650. 4.

Aeneas Gazeus de Immortalitate anime cum Lat. versione & Animadv. Zacharias Mityleneus de Mortalitate Universi cum Notis & versione Tarini & Animadv. C. Barthii. Lipsiae. 1653. 4.

Deus

Galli

*Deutsche Confession. Cygneæ 1653. 4.  
Soliloquiorum Rerum Divinarum Libri XX.  
Cygneæ 1655. 4. duobus Tomis.*

*Claudiani Ecdicii Mamerti de Statu Animæ Li-  
bri 3. cum Animadv. C. B. & Notis A. Schotti. Greg.  
Thaumaturgi de Anima, & Incerti Philosophi Chri-  
stiani Celebres Opiniones. Hermæ Pastor cum Ani-  
madv. & Paciani Paræneticus ad Pœnitentiam. Cygn.  
1655. 8.*

*Gul. Britonis Philippeidos Libri XII. cum Ani-  
madvers. Cygneæ. 1657. 4.*

*P. Papinii Statii quæ exstant, cum Animadvers.  
locupletissimis & Glossis Veterum hætenus bonam  
partem ineditis, & Luvatio multis locis corruptis ca-  
stigato ad Auctoritatem & opem MSS. Cygneæ 1660. 4.  
Tribus Tomis.*

F I N I S.



ibri XX.

nima Li-  
ti. Greg.  
bi Chri-  
um Ani-  
um. Cygn.

um Ani-

madvers.  
bonam  
uptis ca-  
e 1660. 4.



T 1697

ULB Halle 3  
004 764 900



1077


41







M. 21



**Kodak**

LICENSED PRODUCT  
3/Color Black

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White

Inches  
Centimetres

